

F A L C O  
 A M A R C O  
 BE V M L E R O T I G V -  
 R I N O E M I S S V S,

Ad capiendum, deplumandum & dilacerandum audaciorem illum Cuculum Vbiquitarium, qui nuper ex Iacobi Andreæ, mali corui, malo ouo, ab Holdero, simplicissima Curruca exclusus, & à Dæmonico Bauio Fescennio varij coloris plumis instructus, impeatum in Philomelas innocentes facere cœperat.

Dum Cucus nimium confidit viribus, atq;  
 Argutas acer dum petit hostis aues;  
 Ecce illum pedibus comprensum euiscerat uncis  
 Falco, his curbs misit quem Tigurinalocis.



N E O S T A D I I P A L A T I N O R V M  
 Typis Matthæj Harnisch.



Ob. 6. II. 3069

AMPLISSIMO PRV-  
DENTISSIMO QVE VIRO,  
D. JOHANNI CUNRADO MEYERO, in-  
clyta Reipub. Schaphusiana Consuli grauiſſi-  
mo, utriusq; Juris Doctori præstantiſſimo,  
Domino ac Patrono ſibi plurimum  
reuerendo, pacem & gra-  
tiam à Deo.

 TSI MVL TÆ SVNT CAVSSÆ,  
candide Lector, cur viri cordati Iacobi  
Andreae conuicijs & calumnijs non am-  
plius respondendum eſſe arbitrantur: ta-  
men plures & grauiores eosdem moue-  
runt, quibus adducti censuerunt, poſtre-  
mo eius scripto, cui Cuculi nomen imposuit, omnino re-  
ſpondendum eſſe. Nam etſi homines, qui omnibus pietat-  
is, humanitatis & modertiæ repagulis perruptis, in obuios  
quosuis, & leuissima de cauſa ſæuiunt, contemtu potius,  
quam responſo digniſunt: tamen ne omnibus impunè in-  
ſultare, quiduis confingere, temerè calumniari ſe poſſe ani-  
mum inducant ſuum, prodeſt interdum eorum furoribus  
peſſulum obdere, impudentem calumniandi, mentiendi-  
que libidinem liberè detegere, & inprimis veram Euange-  
lij doctrinam, quam illi obscurare & cui vim inferre co-  
nantur, ab eorum corruptelis conſtanter vindicare. Qua-  
propter opere pretium erat Iacobi Andreae Cuculi, partus  
certè infelicitis & infauſti libidinem & temeritatem, hoc  
scripto, quoad eius fieri poſſet, reprimere & compescere:  
cūm omnino in grege eorum, de quibus modò diximus,

annumerari possit. Nam primò hoc suo partu, quem post-  
ritas quoque detestabitur, sui quoq; Magistratus volunt-  
tem neglexit & insolenter contempsit. Etenim eo ipso tem-  
pore, quo Iacobus Andreas suum ouum cuidam Holdero,  
Ecclesiaz, vt aiunt, Sturgidiæ diacono excludendum sup-  
posuit, atq; Poetæ cuidam huius ætatis famoso, quo nunc  
vt mancipio abutitur, nunc in gratiam nobilitatis, vt eius  
perduellem persequitur, orationis pigmentis & flosculis  
decorandum tradidit, adfuit h̄c Illustrissimus Princeps  
Vuirtebergicus & Comes Mompelgardenis Fridericus,  
qui nomine Illustrissimi Principis Ludouici Ducis Vuirte-  
bergici inter alia, quæ ad mutuam pacem & Concordiam  
conseruandam facerent Illustrissimo ac fortissimo Duci  
Iohan. Casimiro, Comiti Palatino, Palatinatus Electoralis  
administratori & tutori æquissimo, etiam hoc retulit:  
Theologis Vuirtebergicis mandatum esse, vt post hac The-  
ologos Heidelbergenses publicis scriptis non amplius la-  
ceſſerent, petens vt nostris quoque silentium imperaret  
Princeps: id quod haud difficile fuit impetrare. At quid fit?  
Non multis septimanis post Candide Lector, infausta hæc  
Iacobi Andreæ auis, præter omnium bonorum expecta-  
tionem in lucem aspectumque hominum prodit. Quæ  
omnibus viris cordatis indicio & arguento fuit, Iaco-  
bum Andream non solum in exteros & suos collegas iniu-  
rium esse & publicæ concordiæ inimicum: sed etiam sui  
Magistratus summum contemptorem. Nam ipsi ab Illu-  
strissimo suo Principe mandatum esse, quod Princeps ille  
constantissimus & fide dignissimus Heidelbergæ affirma-  
uit, nemo bonus dubitare potest: nec Iacobus Andreas ne-  
gare poterit, nisi illum mendacij arguere audeat.

Deinde verò inclytus & grauissimus Academiæ Basiliensis Senatus, qui Epistola verè Christiana ad Senatum Academiæ Tubingensis scripta, ne quid pateretur Iaco-  
bum Andreæ aduersus D. Grynæum moliri, humanissimè  
petijt,

petijt, non modò repulsa m tulit indignam: sed etiam hu-  
ius Cuculi coccysmis passim videtur, mutis se mutuò sca-  
bentibus comparatur, falsi testimonij D. Grynæo exhibiti  
insimulatur, de rebus sibi ignotis pronunciare accusatur.

Facinora profectò non dicam Theologo, sed ho-  
mīne Christiano indigna: quæ Iacobus Andreas nunquam  
cōmisisset, si præ iracundia meritorum Reipub. Basiliensis,  
quæ certè summa in Illustrissimos Duces Populumque  
Vvitebergicum constant, redire potuisset.

Hūc accedit, quod Iacobus Andreas, homo, vt inter  
omnes constat, gloriōsus, victoriarum & triumphorum  
āvidus. ē aeneus, sine sanguine & puluere adeptorum mirè  
cupidus, nunc in suo nido triumphare, atq; sibi neminem  
fore, qui coccysmos scabiosi sui partus reprimeret, persua-  
dere, coque nomine nostris ad se accendentibus insultare  
cœpit.

Ne itaque Iacobus & contumaciam, qua sui Magi-  
stratus authoritatem aspernari, voluntatē negligere, pol-  
licitationem irritam facere ausus est, & iniuriam, qua Se-  
natum Academiæ Basiliensis affecit, & suam iactantiam  
impunè ferret, viri cordati existimarunt hoc scripto ei lar-  
uam detrahendam esse. Quod te quoque, candide Lector,  
pro tua integritate ob causas modò expositas, non impro-  
baturum in certissimam spem adducimur.

Quod verò Beumlerus potius, quam D. Grynæus re-  
spondendi partes in se recepit, in caussâ hæc sunt.

Iudicant viri cordati, D. Grynæum multò vtilius la-  
borare & maius opere pretium facere, si otium & tempus  
studiosę iuuentuti in Schola erudiendę & Theologiæ  
profitendę potius, quam odiosis rixis & contentionibus  
impertiat. Nam vt naturâ ab hisce studijs abhorret: sic eru-  
diendæ iuuentuti, vt crepet inuidia Vbiquitaria, natus esse  
omnino videtur. Deinde Deus omnis boni liberalissimus  
remunerator, inter cætera multa, & hoc D. Grynæo bonum

concessit, vt discipulos habeat, qui, pro sua in Præcepto-  
 rem pietate & gratitudine, sine negotio coccysmos Cucu-  
 lorū Vbiquitariorū coerceant, refutent, & cōuincant. Præ-  
 terea is quoq; , qui Cuculo Iacobandrico respōdendi partes  
 in se recepit, & in posterū quoq; , nisi à suis moribus desistat,  
 recipere *οὐώ Θεῶ* paratus est, non potest dici falcem in alie-  
 nam messem mittere. Nam non solum pars aliqua publicæ  
 cauſſæ, quā oppugnat hic Cucus, factus est: Sed etiam in-  
 dignis modis ab ipso Cuculo Vbiquitario acceptus: adeò  
 vt fato quodam factum esse meritò videatur, vt ille Goli-  
 ath à Dauide sternatur. Nunquam ergo assequetur An-  
 dreas, quod studiosè (quo extimulatore nihil attinget dice-  
 re) aucupatur, vt videlicet centones insulsis salibus, falsis  
 criminibus, inquis calumnijs scatentes conficiendo, D.  
 Grynæum à publicis functionibus, in quibus Christianæ  
 iuuentuti vtilissimā, rumpantur vt ilia Codro, nauat ope-  
 ram, abstrahatur, aut retardetur. Neque verò est, quòd sibi  
 persuadeat Andreas, fore, vt impunè optimū quemq; con-  
 uicijs incessat, & quicquid in buccā venerit temerè, hoc est,  
 sine fronte & mente, tanquā virus acerbitatis Vbiquitariæ  
 euomat. Erunt erunt, qui & ipsius crima diluent & infi-  
 mabunt, & purulenta eius Sophismata detegent, & refuta-  
 būt: Id quod certò sibi polliceatur Andreas: Etiam si se præ-  
 claro multorū suorū mancipiorū præsidio munitū esse ar-  
 bitretur. Tu verò pie Lector, cui° potissimū in expugnādis  
 technis Iacobandricis rationē ducendā esse iudicām°, hoc  
 accipe: Et D. Grynē, & ceteros omnes, qui nostrā piām do-  
 strinam profitentur & confitentur, paratos esse in legitima  
 Synodo, coram Principibus & politicis viris, de cōtrouersiis  
 articulis, equo iure conferre: Scientes hanc optimā esse cō-  
 trouersias componendi rationem & viam: vt pote quam o-  
 lim Apostoli & ipsorum pīj successores, iāstinctu videlicet  
 Spiritus S. feliciter & vtiliter usurparunt. Quo verò spiritu  
 & qua conscientia Iacobus Andreas & totus Vbiquitario-

tum

P R A E F A T I O.

rum grex ad Synodi mentionem exhorrescant & aures obdurent, sibi que tanquam surdis fabulam narrare patiantur, intelligunt omnes cordati. Tibi vero, Vir amplissime, hunc meum laborem ut offerrem & consecarem, his rebus me adductum esse fateor. Primum ut meam erga te gratitudinem & obseruantiam testatam facerem, atque quanti tua in me collata beneficia aestimem, declararem.

Deinde vero ut tuam pietatem & verae Religionis studium singulare, quod cum soepè è sermonibus tuis, tum ex rebus gestis haud obscurè cognoscere potui, omnibus pijs & veritatis amantibus, commendarem.

Tertio, ut perpetuum & constantem in vera Religione inter Palatinatum Electoralem, cuius causa hic potissimum agitur & interreformatas inclytæ Heluetiæ Ecclesiæ consensum omnibus notum facerem. Huc accedit singulare tuum me iuuandi, ornandi, & promouendi studium: quod non tam voce & consilio, quam re ipsa & tua liberalitate abunde probasti. Et certè nuper admodum magno me à te beneficio affectum esse iudico, quod cognatum tuum Ioannem Cunradum, optime spei adolescentem mihi erudiendum commisisti.

Nam hac ipsa re quanti me faceres, & quid tibi de me pollicereris haud obscurè significasti. Ut igitur intelligas, me nec tibi nec cognato tuo vlla in re defuturum esse, in qua mea opella vobis commoda esse poterit: hanc meam *ωφώνησιν* testimonium & tesseram extare volui. Te autem, Vir amplissime, maiorem in modum oro & obsecro, ut, quæ tua est humanitas & pietas, hanc meā gratiani mis significationē hilari fronte accipias, atque in optimā partem interpreteris. Dominus Iesu tibi Spiritu fortitudinis & prudentiæ adsit, ut quemadmodū hactenus ita etiam in posterum & patriæ nostræ salutem incolumentatemque promouere, & in primis veram Religionem

pro-

propagare, ab omni fermento sartam testamque conser-  
uare, atque ad posteros deriuare possis: id quod à Deo pre-  
cari nunquam desinam. Heidelberg 13. Junij.

Tuæ Amplitudinis obseruantissimus  
Marcus Beumlerus.

GEORGIVS ERNESTVS AB  
Altenstein Thuringus Hol-  
dero S.

Oldere, Beumlero foret si Sym-  
machus,  
Ut Nicodemus parastates fuit  
tibi,  
Miris scaterent pagina hæleporibus.  
Sed Nicodemus ille sorbere, & simul  
(Quod non hominibus omnib. pariter datū est.)  
Scit flare, & est alter velut Chamaeleon;  
Laudare eundem & vituperare simul potest.  
Nam iam Grynaum dente rodit in uido,  
Graco cui olim est gratulatus carmine,  
Basilea eundem & in caterua nobili  
Tulit salutans cœlum ad ipsum laudibus.  
Nec tamen ob id leuitatis incurrit notam;  
Ut nec Epicureus vocatur ob id, Papa  
Germanici quod impudens in gratiam

Vbiq.

Ubique Christi adesse corpus autumat,  
Et rursus in Papa Italici idem gratiam,  
Clausum esse Christi corpus in cista autumat.  
Et sic tabernis in Papisticis bonus  
Papista: Bebenhusiano at in Cellario  
Bonus est Ubiquitista. Nec contraria  
Sunt ista, nō magis, quām (ut in re hanc explicem  
Exemplo ei simillimo) si dixero:  
Jacobus Andreae est bonus vir, et simul  
Nequam. Est bonus vir ille, scilicet foris:  
Nequam est quoque idē magnus, in cute scilicet.  
Quicunque benè distinguit, is docet benè.  
Fortasse non distinctio hac aquè omnibus  
Placebit: at Dialectico tali, bone  
Holdere, qualis tu es, satisfaciet, puto.  
Nam quatuor plerunque terminos facis,  
Conclusioni et terminum medium inseris.  
Logica est noua Tubingae et Physica mirabilis,  
Quam nemo, acutus ut sit, unquam intelliget.  
Nisi qui, domi ratione deposita, auribus  
Asinique sumptis templa vel scholas petit.  
Desimplici atque plano, ut inquit Bartolus,  
Auriga Iuris (Nicodemus quoque tuus  
Candelabrum uti dici potest Poetics)

B

*Holdere, fateor esse scripta haec carmina,  
Nec paria posse facere me (absit hoc) reor  
Cum Nicodemo, stans in uno qui pede  
Media in taberna mille versus egerit;  
Friburgici in Brisgouia ut testes erunt  
Sacrificuli. His amoris in signum sui  
Dabat iterata Christianæ, Spiritu  
Bacchirepletus, Caritatis oscula;  
Illi sq; (varietas ut est gratissima)  
Miscebatur inclusos metris nigros sales,  
Dictu nefas, de Theologis Tubingicis.  
Quid Rothuilenenses nunc ego narrem patres  
Crassos Papistas, sed bibones strenuos?  
His ille disticho ultimum dixit vale  
Itam fere, nisi fallor, in sententiam;  
Vale, urbs rubra et dulces amici, viuite,  
Veteris religionis quibus cordi est amor.  
Ex hac mihi sic arguere thesi licet;  
(Namq; Axiomata Nicodemii dicta sunt)  
Quod si religio Rothuilensum est vetus,  
Quæ Vbiquitatis dogma nescit Suevica;  
Sequitur, Religio quod Tubingensis noua est,  
Quæ Vbiquitatem peperit, et partam fouet.  
Verum antecedens; ergo verum et consequens.  
Holdere,*

*Holdere, rursus hinc ego sic infero;  
Doctrina quod si Ubiquitatis est noua,  
Sequitur, quod illa ignota fuit Apostolis,  
Et consequenter, dogma quod ea est impium.  
Sed est prius verum. Ergo posterius quoq;  
Aut certè ego his intelligo omnino nihil,  
Aut Nicodemus vestro honori consulit  
Parum, & meretur illum uti vester Papa  
Justissima ira accensus excommunicet,  
Aut (qua effet illi pœna adhuc acerbior)  
Ut publico programmate affixo vetet  
Eum popinas, aut tabernas ingredi,  
In Lappiam curetue deportarier  
Miseru illū, aquā vt, dum vixerit, merā bibat.  
Hac ergo (vt iredeam, vnde abiui) situe  
Bæoticæ auri, Holdere, non nimis placent,  
Veteris recorderis, rogo, prouerbi;  
De remala Sermo nequit fieri bonus.  
Sin Nicodemus ille aliquid in posterum  
Tuo Sagittarum arcui suggesterit,  
Plumâue Cuculos discolori ornauerit,  
Ipsi sciat cunctos poetas maximum,  
Fuanante nobilitate bellum indicere,  
Deformat ille quam suo more, & modo.*

Imò manus stipulata ei promiserim,,  
Fore, Nicodemus & Jacobus Suenicus,  
Quorum ferè sunt gesta, opinor, res pares,  
Celebrentur ut sincerè ijsdem Annalibus,  
Viuisq; depingantur ut coloribus.  
Nam debitorem ipsum & fidei iussorem ego  
Eodem, ut & Baldus docet, habeo loco.  
Ego terminis Baldi ut oratq; Bartoli  
Prudens, sciensq;, ut si are se non liberat,  
Quonexus est adhuc Erasti baredibus  
Fortes sibi norit fore aduersarios,  
Grandem sciunt qui impingere optimè dicam.  
Quod si quoq; Fulica atq; dominus Brandius  
Non esse duxerint silere tutius,  
Proferterier quam se Iacobi de grege,  
Fecere quod nuper, Iacobi sed metu,  
Tyrannide illos qui Theologica premit:  
Fulica esse tensum rete sibi certò sciat,  
Dominusq;, restinctu iri aqua igne, Brandius.  
Te porro obese, iuniorq; Caustice,,  
Et te, Byzantij ô Latine Apostole,  
(Mirum in modum qui cupitis inclarescere.)  
Tanquam matæologos minorum gentium  
Maturè in Anticyras iubeo profiscier,

LXXX

Longas malum ante quā in ualescat per moras.  
Tu, Crispe, qui Graciam fidē atq; linguaā amas,  
Non es Magister Noster equidem: sed tamen  
Quoniam Gnatho Sueui illius Thrasonis es,  
Ei q; linguam vendis, haud quaquam memor  
Quod olim Erasti assensus es sententia,  
Te moneo, utite corrigas, loco ultimo.  
Agrē nec id feras, quod aio; loco ultimo,  
Maximus enim in Procesſione es ultimus.  
Holdere, dixi hac, ut vides, sine hyperbole,  
Nec uilla adhibui verba ſequipedalia,  
Nec ſenidia, (ut ſcurrat, ſtellio, hypocrita)  
Certissima argumenta cauſa pefſima,  
Tibi pefſima cauſa patrono pefſimo  
Emblematum est uti quibus viſum loco.  
Sermone enim gaudet modeſto eſſe ſimpli  
Bonitate cauſa freta veritas ſua.

Scriptum ex arce Altenstein  
Non. Jun. An. 85.

Casparus Vuaserus Tigurinus Iacobo  
Andreæ Tubingensi. S.

**R**Oetus ut eximia est proprij nota sapè  
parentis,  
Ac utriusq; uno corpore dona gerit:  
Sic Cucus Smidline tuus, quem nuper Achate  
Holdero adideras, quis sit uterq;, docet.  
Insignis certè proles, dignissima patre,  
Et quam perpetua posteritate bees:  
Sic Bibenhusiaco semper laudaberis antro.  
Egregia & quòd sis progenerator avis:  
Vt qua cœruleis te, scilicet, intulit astris,  
In terrisq; alcum nomen habere dedit.  
Namq; timore suo, simulatq; referret timorem,  
Ipsatum poterit, quem perhibere soles,  
Non quæ casta Dei mens approbat omnipotētis.  
Ait quæcū crudelis Rex Phlegetontis habet.  
Dogmata cœlestis fugis illustrissima loue  
Nec non cū seruos, organa sancta, Dei,  
Quos fore credideras semper, qui pellere possent  
Coccynmos, recta quos sine mente canis.  
Sic, ut cū astutus Cucus, tu ornare palumbem  
Infamem cogitas calliditatetua:


Quæ

*Quare dissimulet prolis, Smidline, parentem.  
Tām misera & frugis, tām sine laude satæ.  
Quid quod es? ambitio Cuculifastusq; tumentis  
Ambitiosatua pignoramētis habet?  
Terrigenū sīquidem cupis alter Papa videri  
Coccysmos paſſim disseminando tuos.  
Nunquid es scabie tactus, uelut est tua plies?  
Est tua vita, tuum dogmaq; dira lues.  
Nāpiaturba Patrū quæ olim sub tartara misit  
Dogmata, nunc eadem de styge tute vocas.  
Et Coccysmorum scabie inficis; hoc velut omnes  
Quia uanouerunt pectora, abundè docent.  
Est ingratus adhuc Cuculus, leuis, improb. atq;  
Perfidus, hac bellè quam tibi quoſo quadrat?  
Cur ingratus? eius quoniā ore vorare maligno  
Tentas, qui erroris temonuisse volunt,  
Sanctisonaq; tuos dispellere voce beatus,  
Dogmatiſ que pigeat pœniteatq; tui.  
Cur leuis? en monstrant scurrilia dicta iociq;  
Concio quos sapit, es lectio queq; tua.  
Et Bibenhusanum cūm te oblectare Falernum.  
Affolet, heu quantus tūm leuitatis amor?  
Improbus an quod? idē possunt patrata referre  
Improbafacta, omni quæ innotuere bono.*

*Per-*

Perfidiam quod iure refers, discordiam monstrat  
Ora animi sensis pignoribusq; tui.  
Sed bene . Falco tuis resistens viribus acer  
Coccysmos placido dissipat ore tuos,  
Et quibus innocuam Philomelā inuaderet tentas  
Artibus, ecce illa seripit ipse tibi.  
Quod si monstroso tu reclamare boatu  
Niteris, et suaves non capis hosce sonos:  
En satis est orare Deum, qui arcere furores  
Atq; tuos fremitus pectoris, arte potest.

Scriptum Heidelbergæ  
10. Junij. An. 85.



I

V V I L H E L M O H O L D E  
R O C V I D A M , C V C V L I N V P E R T V  
bingenati parenti aquiuocè sic dicto, & Ja-  
cobo Andrea ynōiō eius parenti,  
meliorem mentem à Deo  
exoptat

M A R C V S B E V M L E R V S Tigurinus.



QVIDEM CONDOLEO VOBIS, optimi viri, quod spes vestra, qua fretri infelicem istum Cuculum conceperis & in lucem aspectumq; hominum attulisti; vos adē fefellit, atq; multa præter eam acciderunt. Etenim tu Holdere, ut primò & paucis tecum transigam, sperasti te ingenioso isto commento doctis bonisq; viris admirationi fore: quod longè fecus esse nunc vides & haud immerit luges. Nihil quandoquidem, vel teipso iudice, magni est, si ex ovo cuculi cuculus excludatur, aut si graculus graculum producat. Quapropter nihil magni, nihilq; præter naturam tuam, & Vbiquitariorum omnium mores fecisse videris, etiam si passus es te pro cuculi scabiosi parente falso venditari & proclamari. Et certe omnes, quos videlicet Vbiquitas non cœcauit, non magis vellent pro cuculi genitoribus, quam pro cuculis haberi: cuculus siquidem non nisi cuculo procreatur.

Deinde verò in certissimam spem, ut omnes intelligentes facile iudicare possunt, venisti, te tuo isto supposititio cuculi partu gloriam sempiternam & ad omnem posteritatem deriuandam parturum esse: quod etiam aliter evenit. Nam omnes qui te familiariter nōrunt, quibus tua eruditio, tui mores & studia cognita perspectaque sunt, uno ore testantur, te vel cuculum illum o-

mininō non peperisse, vel saltem operam currucæ & palumbis in eo excludendo præstisset. Nam et si partus iste seu potius abortus adeò miser & immaturus, adeò horridus & incultus est, ut eius vel mediocri literatura tinctum meritò pudeat: tamen nemo, qui Holderum Holderum esse nouit, eò adduci potest, vt credat Holderum illius parentem esse. Fortassis, quod multi haud obscuris coniecturis colligunt, quia Iacobi Andreæ mancipium es, Amanuensis operam præstitisti: vel etiam, nam te tua laude defraudare minimè volumus, ex indicibus Plinij & Diogenis Laertij dicta illa, quibus Cuculum vestrum, ne omnino deformis & monstruosus appareret, palliandum & exornandum vafro confilio duxistis, magno labore conquisiuisti, atq; agrèsti tuo Domino, Iacobo Andreæ ad Cuculum excludendum suppeditasti. Dignus profectò es, cui pro ista opera opima Abbatia à Iacobo Andreæ concedatur.

Neq; verò est Holdere, cur animum despondeas aut te excrucies, quòd videlicet iam inter omnes constat te Cuculum illum non peperisse. Nam hac ratione tuæ famæ & existimationi melius consulitur: ex huius quandoquidem Cuculi partu ad parentem non maior gloria redibit, quam olim ad Pfefferkornium illum Pseudochristianum ex libro, quem in Capnionem, virum eius ætatis doctissimum, scripsiferat & Sturm gloggen appellauerat, rediit. Ne autem omnis labor tibi perijisse videatur, ac ne tibi nulla omnino gratia referatur: sis tu potius Cucus quam Cuculi parens: ac in posterum plenam habeas potestatem tot procreandi Cuculos, quot tibi laudi & gloriæ fore sperare poteris: modo ex hac laude Cuculina Iacobo Andreæ nihil decerpas, nec te in istius societatem gloriæ offeras: quin ipsi vlrò cedas, eius esse totam ac propriam fatearis.

Sed iam omisso illo, nescio quo, Holdero, ad te venio Iacobe Andreæ, ac tibi quoque condoleo. Nam misero isto Holdero, quem nigris tuis plumis ornatum in proscenium adduxisti atq; laruatum omnibus doctis viris ridendum propinasti, multò minor es & multò maiori de spe decidisti. Sub ementito quandoquidem Holderi cuiusdam, mancipij videlicet tui, nomine, tanquam sub scuto Aiakis te securum latere posse ac omnem fabam, quam nuper Bebenhusij melancholia & crapula transuersum actus seiisti, in ipso cusum iri, falsò tibi persuahisti.

Patent nobis fraudes, quas Vbiuitas fraudulenta te docuit,  
nec

nec eæ nobis amplius imponere poterunt. Tu, tu, Iacobe Andrea astutè tibi cauens & τὴν τάξιν, hoste conspecto, λιπῶν, nobis prehendendus & vrgendus es : tibi culpa ista præstanta est, tibi quod semel intriuisti, exedendum. Nullis vñquam artibus efficiës, vt te omisso miserum quandam & inglorium Holderum, qui nihil nec ausus nec potuit, inuadamus. Nam et si vel gloriæ adipiscendæ studio ductus, vel tuo dominatu, quem omnes boni in ducatu VVirtebergico reformidant, adactus te suo nomine, vt otio tuo consuleres, & nouæ vxori operam sine omni impedimento dares, abuti paſſus est: tamen hoc siue ambitionis siue metus σφάλμα illi facile condonamus. Ac profectò Deum καρδιογνώσην testem habemus, nos serìo & ex animo eorum conditio-nem dolere & commiserari, quotquot in ducatu VVirtebergico tua Tyrannide premuntur & diuexantur. Valeat ergo ἀνδεστόδο, illud tuum ac sua, vt antea quoque, fruatur quiete: tibi vero, qui omnium istarum turbarum inceptor & perfector es, scabies & prurigo Cuculi, quem tua Vbiuitas tibi enixa est, tibi affice-tur: vt omnes tandem intelligent, qualis quantusque vir sis.

## Caput 1. de timiditate Cuculi Jacobandrici:

**A**C O B O. ANDREÆ notæ sunt fœtus sui propriætes à primis fortassis, quod dicitur, vnguiculis, atq; idcirco eas ἀμαδέσεον & σαφέσεον percenset. In eo autem plurimum aberrat, dum alios sua natura fin-gens, Cuculi sui notas insitas nostris valde ἀλύως, ne scilicet nihil præter Cuculi naturam faciat, attribuere conatur. Primum itaque D. Grynæum timidum esse probat, & ita pro-bat, vt Cuculi Iacobandrici clamorem facilè agnoscas.

- 1. *Grynaeus in Disputatione Heidelbergensi suis tantum locum dare con-stituit: postea vero, ab illustriss. Principe monitus, inuitus nostris po-testatem fecit, & quos præceteris timebat, inter quos fuit Petrus Pa-tiens, longè submouit:*

*Ergo Cuculi timiditas Grynaeorectè tribuitur.*

Ad antecedens tuum, mihi Andrea tam generosæ prolis parentis, paucis respondeo. Ex animo me tui miseret, quod statim in ipso limine tuorum coccysmorum tam impotenter à veritatis tramite deflectis, tamque temerè ea affirmas, quæ falsa esse inter omnes, quotquot Disputationi interfuerunt constat. 1. *Gryneus*, ait, *suis tantum locum dare constituit*. Falsum est, quod dicis Andrea, & tam longè à vero abest, quam coccysinus Cuculi à luscinia cantu. Nam si verum est, quod tu affirmas: cur Grynæus primum disputandi locum amicè & serio ei obtulit, quem cæteros Theologos vestræ factionis, & acumine subtilitateque disputandi & eruditione eloquentiaque superare constans fama erat? Quodverò vestro illo Coryphæo Disputationem ordiri, nescio quo animi vel metu vel fortitudine recusante, vni ex nostris locus necessariò datus fuit: Id non D. Grynæi timiditati, sed vestrorum fortitudini tribuendum esse nemo non videt. En Andrea primam tuam à non caussa fallaciām.

2. *Inuitus*, ait, *nostris conferendi potestatem fecit*. Si verum est, quod tu dicis Andrea: cur D. Grynæus & primò omnium & sua sponte, suo iudicio, à nemine monitus & rogatus vestris conferendi potestatem fecit? Quare vestri, quæ eorum fuit fortitudo, renuerunt? Item cur Grynæus non nostrorum, sed vestrorum caussa Disputationem, de sententia & consilio Illustrissimi Principis, non inuitus & coactus, sed voluntate propensa instituit? En Andrea alteram tuam à non caussa fallaciām.

3. *Illustrissimus Princeps*, ait, *dolum cum animaduertiffet, vt nostris disputandi copia fieret, per Toffanum clara voce admonuit*. Tu quidem hoc ait Andrea: sed Illustrissimus Princeps, non minus videlicet quam tu, fide dignus, ait se non idcirco vestris disputandi copiam fieri voluisse, quod D. Grynæum, quem etiamnum hodie, qua est gratuitate & prudentia, candidissimum iudicat, ac propterea (rum) pantur. vt ilia Vbi quitarij eum maximi facit, dolo aliquo vti animaduerterit: sed quod tuos complices partim obstupuisse facile intellexerit; partim quod iure suo eos iubere potuerit: partim denique quod, vt semper *enivula* ante victoriam canitis, ante Disputationem passim gloriati fuerint, duos esse domus Sapientiae alumnos, qui vel soli victoriam de D. Grynæo, & sine negotio, reportaturi sint.. Itaque Illustrissimus Princeps veritati suæ caussæ confisus, nec non de D. Grynæi fide & eruditione optimè persuasus, non dubitauit eum cum vestris illis Thrasoni-

sonibus committere : quod si timiditatis & doli indicium est : quid reliquum est, quam ut fortitudinem timiditatem, & lucem tenebras, pro vestrorum animorum robore & candore nomine-tis ? En Andrea tertiam à non caussâ fallaciam. Atq; hac ratione D. Grynæum è pugna comminus commissa timidum esse probâ-sti : nunc cedò argumenta, quibus è pugnis eminus commissis idem probas. Primo sic argutaris.

1. *Gryneus cum facile sibi persuaderet, fore, vt quos publica Disputatio perstrinxisset acerbius, non edentulos sensuros esset; accedit Se-natū Basiliensis Academie: petit, instat, vrget, & tandem extorquet intercessoriā Epistolam, qua id se consecuturū sperabat, ne quisquam etiam eminus Disputationis rationem exigere auderet.*

*Ergo Gryneus eminus multò maiorem formidinis significationem dedit.*

Tu vero Iacobe Andrea, pro ista tua detestanda ~~κανονισμίᾳ~~ & malitiosa omnia in peiorē partem rapiendi infaniam Deo, εὐδι-  
κος ὄμως ἔχοντι, grauissimam rationem reddere. tristissimamque subire pœnam cogere. Sed ad rem. In tuo antecedenti tot crimi-na falsi admittuntur ; quot verba ponuntur: id quod induc-tio-ne planum fiet.

1. *Gryneus, ais, facile sibi persuasit, fore, qui contra Disputationē scribe-rent.* At mihi Andrea, non necesse erat, ut Grynæus sibi id persua-deret, quod tu dicas. Nam post Disputationem habitam multorum literis & sermonibus ad nos perferebatur ; te intra fauces montium Bibenhusianorū, ut videlicet crapulā & vinum, quo te quotidie ingurgitari constans fama erat, exhalares, scriptum ma-ledicentissimum cudere.. Cui profectō euentus nimis verè re-spondit. Nam post homines natos scriptum tam immoderatum, tot conuitijs refertum editum esse, nemo verè affirmare poterit. Vestri vero antequam iste partus ederetur, idem passim sparge-bant, ac iam de nobis vičtis triumphabant : quos tamen spe sua falsos omnino fuisse, iam ipsi experiuntur & deplorant.

2. *Gryneus, ais, aliquos perstrinxit acerbius publica Disputatione.* At, mihi homo, tua ista sunt commenta, tua somnia & fabulæ. Nemini-nem neminem, inquam, vestrum D. Grynæus villo contumelioso verbo vel attigit, vel læsit: satis ei fuit solidis rationibus insulsa ve-strorum sophismata dissoluere ac veritatē ab ijs vindicare : quam solam ob caussā Disputatio instituta fuit. Non sumus vestri si-miles Andrea: qui vestra dogmata non nisi infestatione persona-

rum tueri consueuistis. Sed quid opus est pluribus refutare ea, quæ tot homines manifestè falsa esse nōrunt? Inqui autem odij tui, quod iam pridem in immerentem Grynæum concepisti, causa non est, quod ille vñquam te vel publicè vel priuatim perstrinxerit: sed alia causæ sunt veriores, quas hoc loco paucis attingam. Basileæ amicum habes, qui tibi diu verba dedit, ac multa de D. Grynæo, quod illum suis luminibus officere videret, tecum per literas communicauit, quæ probare nec potest, nec audet, nec conatur. Deinde hoc vtrumque vestrum male habuit, quòd Grynæus in doctrina circa Eucharistiam & Vbiuitatem liberè quidem, sed ita modestè dissentiret; vt etiam omnibus vijs aggressi, nullum ei periculum apud inclytum vrbis Basiliensis Senatum creare potueritis. Hæ sunt veræ causæ, cur sic in D. Grynæum immerentem stomacharis. Atque idcirco ante quadriennium, cum quendam Godelmannum tuo isti amico commendares, inter cætera scripsisti, te publico scripto D. Grynæum petiturum esse. Quas verò ob causas, & quibus argumentis tuus ille te represserit, tu optimè nōsti. Ante biennium verò, quām diabolicam, quām non dico à tanto Theologo, quantus tu haberi vis, sed à Christiano homine alienam salutationem eidem D. Grynæo. S. Theologiam modestè & citra vlliū hominis insectationem profitenti per honestissimum iuuenum, Amosum Amandum Polonum nunciandam curaueris, plurimi nōrunt etiam è tuis & detestantur. Quare Andrea detestabilis tui odij, quo iam pridem in D. Grynæum exarsisti, falsò confirmas causam esse, quòd is te vel publicè vel priuatim perstrinxerit. Imò D. Grynæus tot tantisque iniurijs à te affectus nō odio sed charitate, non maledictis sed pijs precibus pro te & alijs fundendis certabit. Te verò furere & debacchari æquo animo feret, donec Dominus tandem te compescat.

3. *Grynæus, ais, accedit senatum Basiliensem : petit, in stat, vrget, & tandem extorquet Epistolam intercessoriam.* Non opus fuit Andrea, tanto conatu ad impetrandam Epistolam à Senatu Academiæ Basilensis, quantum tu hīc commemoras. Quod enim Senatus ille fecit, lubens bonaqué voluntate erga D. Grynæum & pacis studio pio laudabiliqué fecit. Ut verò D. Grynæo illam Epistolam, qua publicè paci consuleretur, petere, & Senatui Basiliensis Academiæ eandem dare honestum & laudabile fuit: sic tu illam aspernando tantam ignominia maculam tibi Scholæque Tübingeri inussisti, quam nulla vñquam delebit obliuio, quam posteri quoque execera-

execrabuntur. Memini me interdum Tubingæ à bonis viris audiisse cōmendari Academiæ Basiliensis erga Tubingensem studiū, quod superioribus annis extiterit. Nam cum Leonhardus Fuchsius medicus librum, aduersus D. Scheckium, Basileam excudendum misisset : ac Academia Tubingensis à Basiliensi vt librum illum ne imprimi pateretur petijsset:ne videlicet duo eiusdem Academiæ clarissimi medici immortale odium ~~ωργα~~ ~~ἀλλήλων~~ susciperent ac funestas inimicitias exercearent: Ibi tum Basiliensis Academia illius petitioni omnino satisfaciendum iudicauit, ac satisfecit. Sed quām quæso gratiam refert à supercilioso hoc Cancellario? Eam scilicet quam ab Vbiquitatis Sacerdote expectatâris meritò. Nam non solum honestum & pium, quod petit, non impetrat: sed insuper etiam publico scripto traducitur & exagitatur, quasi suæ religioni & suo Rectori metuens, non verò publicè tranquillitati consulere volens, Epistolam illam scripsierit. O nefandam hominis arrogantiam : ò intolerabilem ingratitudinem huius Theologi: O beneficiorum immemorem Cancellarium. Vrbs Basiliensis superioribus annis non solum Brentium vestrum in exilium actum ac nusquam locorum tutum : Sed etiam Principes vestros ab omnibus penè desperatos suscepit, fouit, re & consilio iuuit: Vnicaverò Epistola ab urbe Basiliensi (cuius nomen vobis, si grati essetis, meritò gratum esse deberet) in vestram Academiam missa ad rem honestissimam & Christianis hominibus dignissimam, videlicet publicam pacem, petendam non modo nihil efficit, sed etiam à vobis rideatur, & in deteriorem partem rapitur. Sed hanc ingratitudinem & arrogantiam vlciscetur Deus. Hæc verò ad tuum antecedens responſa sunto.

Nunc ad tuum consequens accedo: quod, quia turpissima à non cauſa fallacia, è tua detestanda ~~χειροδέσια~~ nata, laborat, nobis omnino negandum tibiique remittendum est. Nam illa Epistola, quod grauissimo suo iudicio testatur Academia Basiliensis, non idcirco scripta est, quod autores eius suæ cauſæ diffiderent, aut eam à te euersum & expugnatum iri vererentur, aut quod Doctor G R Y N A V S sibi à te metueret: sed tantum idcirco vt publicæ paci seruiretur, & mutua Concordia sarta tecta;q; conseruaretur, vt conuicia & falsæ criminationes, item aniles fabulæ, quibus armis tu haçtenus pugnare telaque in te coniecta depellere consueuisti, præcauerentur & matutè

turè soparentur. Et hoc pium sanumque consilium omnes boni, quotquot in Academia vestra docent, sequendum omnino iudicarunt. Sed vt illi nihil obtinere potuerunt: ita nec suam sententiam acrius vrgere ausi fuerunt: ne scilicet à te apud Illustrissimum Principem tuum Caluinismi insimularentur: id quod multis immerentibus iam vsu venisse sciunt & deplorant. Et certè te ab Vbiuitate tua planè cætatum esse constat: si tibi imaginaris D. Grynæum vos locorum & temporum interuallis à se seiunctos extimescere, cum quibus comminus per integrum octiduum forti animo congressus est, ac bonitate suæ caussæ vique veritatis adiutus præclararam rumpantur vt ilia Vbiuitarijs, victoriæ reportauit. Cum verò talis tantusque heros sis, à quo sibi omnes homines meritò timeant, quæso te vt hanc labem eluas, ne tua heroica virtus suspecta fiat bonis & constantibus viris.

*Eum proculdubio omnino timidum esse, ἢ ἐλάφοι καὶ δίνες, ac suæ caussæ diffidere oportet: qui, optimis oblatis occasionibus cum aduersarijs suis congreedi comminus non audet: qui legitimam synodus, in qua coram & legitime caussa cognoscatur omnibus artibus impedit: qui eminus tantum conuiciorum centonibus pugnat ac tanquam gallus in proprio sterquilinio crocitat.*

*Atqui hac omnia superioribus annis sedulò factitauit Andreas, & adhuc bodie facit.*

*Ergo eum timidum & animo ceruino esse, & caussæ suæ diffidere omnino necesse est.*

Propositionem Andreas, etiamsi Vbiuitas suggerat, minime, vt iudicant prudentes, negabit. At assumptionis rationem proculdubio requiret: qua in re, vt par est, morem ei geremus. Superioribus annis, animi gratiâ, vt foles, Montispeligardum expatiaturus, Tigurum cum socio Bidenbachio, cuius tragicum exitum dolemus, venisti cum literis commendatitijs ad D. Stuckium. Sed quem virum te ibi præbuisti? Vtuebat adhuc D. Bullingerus, quem tu comminus multis conuicijs incessueras, ex alto cōtempseras, & de quo in tuo sterquilinio iam magnificè triumphaueras: eius verò vultū ferre præfens non poteras, nō intueri, ne dum alloqui audebas. Literas commendatitias, ne scilicet tuum aduentum proderent, studiosè asseruāsti. Vna D. Gualtheri concione perculsus omnem in fugâ salutem, vt ceruo in pedibus, tibi positam esse indicabas, ac verè illud tuum experiebaris:

*Membris*

*Membbris pauor ingruit ingens.*

*Omnibus, inq[ue] pedes animus mox decidit imos.*

Postea verò cùm D. Theodorus Beza ad te Stutgardiam veniret, ac tibi liberè suam de Cœna Domini sententiā aperiret, quem virum te præstisti? Amicè complexus fratre appellasti: atq[ue], toto animo perculsus, ne verbum quidem opponere, imò ne hiscere quidem ausus fuisti. Postea quā verò ille à te discessit, at ut te ipsum recollegisti, ne animus omnino defecisse videretur, Germanicum libellum, quem bonus ille vir non intelligeret, aduersus eum editisti: O ἀσφαλέσαντος τεχμήειον ἐλάφοιο καρδίης.

In Saxonia quid egeris, omnibus patet. Doctissimos enim viros, quorum multos exhorruisti, postquam partim carceribus includendos, partim in exilium ejiciendos curâsti, Vvittebergæ Disputationem cum tuis applausoribus valdè athleticam instituisti: cum ijs verò, quos serio à te dissentire sciebas, ne cōminus pugnare necesse haberes, sedulò eo quo dixi modo, præcauisti: adeo ceruinus heros es.

De Synodo verò quid attinet multa dicere? quām studiosè, quām astutè, quantis conatibus & calumnijs eam hactenus impediuiisti? Quod quantum animi magnitudinis indicium sit, intelligunt prudentes. At Zuingiani, inquis, iam hærefeos sunt conuicti & damnati: ita vt necesse non sit eos publica deum Synodo cōuincere & damnare. Scilicet hoc σοφὸν tuum est φάγουσος & χρησόγενες. Cur ergo tot conuiciorum & criminacionum centones contra eos farcis? Cur eos non missos facis, si non digni sunt, qui conuincantur & damnentur amplius? Sed de his alij te quoque monuerunt: surdo tamen fabulam narrârunt.

Consilium porrò tuum, quod D. Grynæo dare conaris, quām ridiculum est, quām Cuculum olet, quām à ratione abhorret? Author es D. Grynæo, vt Tubingam, quia cuculus sit, aduolet atq[ue] ibi se tibi curandum timiditateque Cuculi liberandum committat. Sed heus bone vir, quam metamorphosin, ab Vbiuitate nimirum edocitus, nobis promittis? Cuculorum nos parentes profitemini, alios vestris artibus Cuculos facitis, Cuculos è nido Tubingeni excluditis: & tamen rursus pollicemini, vos posse alios Cuculorum timiditate & morbis liberare. Mira profectò res: magna artes magna que pecunia redimenda, siquidem non fallant. Cæterū Andrea Cuculi parens, noli eos Tubingam inuitare, quos

pro Cuculis habes: ne scilicet tibi dicatur *γλαυκας εις αθηνας*: nisi nō  
ris, quemadmodum ijs qui à scorpijs iecti sunt, ab ijsdem remedium  
petere solent, sic à vobis Cuculorum genitoribus remedium ijs  
petendum, qui à vobis lassi sunt. At nemo sanus posthac Tubin-  
gam ingenij excolendi causa proficiscetur: quippe cum Tubin-  
ga Cuculos nuper admodum infelicitate parere cœperit.

## *Caput 2. de Cuculi Jacobandrea- ni astutia.*

 **V**C VI parens astutiam Cuculi D. Grynæo tribuit, tri-  
bus coccysmis Cuculo Tubingensi dignis usus. Primus  
hic est.

*Gryneus cassa statum astutissimè disimulat, & an corpus Christi in pa-  
ne latitet, vel in pane occultatum sit, de eo controvèrsiam esse, malitiosè  
affirmat. Deinde figmento Vbiquitario tantù inter partes contentionē  
esse malitiosè affirmat. Tandem de Capernaitica manducatione disce-  
ptari, quod nos corpus Christi sensualiter manducari, & dentibus atte-  
ri doceamus, fingere ipsum nihil pudet. Sed non ita est Cucule, nam de  
eo queritur, anne Corpus Christi tam procul à pane Eucharistiae absit,  
quantum à terra distat summum & altissimum cælum.*

Coccycis verò, ò Cuculi pater, astutiâ secundum plures in-  
terrogationes, ut videlicet, coccysmos inuoluendo, incauto le-  
ctori eò facilius imponas. Moues hinc tres quæstiones, ad quarum  
singulas paucis respondendum erit.

1. *Quò ad statum controvèrsiæ attinet, quis non videt in tuis  
verbis coccysmū crepare, quem ignorationē Elenchi vocant Dia-  
lecticī. Quæritur sane vtrumq[ue] recte: Primò, an corpus Christi in,  
sub, cum pane lateat: quod vos Vbiquitarij strenuè affirmatis, o-  
mnes verò orthodoxi negant. Deinde vtrum corpus Christi nunc  
suā essentiā alibi sit, quam in cælo, si videlicet situm localem spe-  
ctes. Hoc posterius nos recte negamus: quippe cum Symbolum  
Apostolicum & Euangelica historia Christū in cælos verè ascen-  
disse testetur. Angeli, Christum non in panem: sed ad iudicium re-  
diturum esse, apertis verbis docuerint: Petrus denique Christum  
oportere ἐγένετο θεός dixit est, ὃ τὸ ἐγένετο θεόν τοῦ cælo capi, ut Nazi-  
anzenus interpretatur, vñque ad temporarestitutionis omnium.*

2. Ad

2. Ad Argumentum Vbiquitarium quod attinet, tuus tuus inquam, qui Cuculos parere cœpisti, coccysimus est. Monstra locum si potes, in quo Gryneus scriperit, de fictitia vestra Vbiquitate tatum certamen esse: & te tuamq; Vbiquitatem mendacij crimine liberabis.

3. Ad tertium quod attinet, si à Capernaitica mandatione tantopere abhorretis: Cur quæso idem mandationis instrumentum & idem subiectū, quæ duæ res modum agendi determinant, cum Capernaitis constituitis? Item si hingitur, nos docere corpus Christi sensualiter māducari & dentibus atteri: quid opus est tāta contentionē, in gratiā Nicolai Papæ & Cardinalis Cameracensis, Palinodiā Berengarianā, in qua phrasēs illæ reperiunt, approbare & propugnare? Scilicet licet vobis opinionū portēta Ecclesię obtrudere & p̄muās w̄ dāivūlā usurpare: nemini verò licet eorum absurdā arguere. Nunc accedo ad alterum coccysimum.

*Gryneus argumenta dogmati suo impio opposita, assumit forma vitiosa de industria & ex composite: sophismata pertrahit ad suas certas fallacias, sicut fugitiua mancipia ad suos heros. Ergo astutè agit.*

Ad primum antecedentis crimen quod attinet, prompta parataq; est responsio. Rem omnibus modis ἀδύτων aggreditur & cū Deo bellare velle videtur, qui insulsa & insipida vestra sophismata bonā formā assumere conatur. Rerū vitiosarum vitiosa sit formā, necesse est Andrea Cuculi parens. Scilicet in expiabile scelus concipimus, dū argumēta vestra vitiosa formā, quā perpetuò laborat, assumimus: vobis autē summē laudi & gloriæ est, vitiosa formare argumenta, ijsq; athletice pugnare. Ad alterum vero hoc respōsi accipito. Non ignoramus illud vos vestramq; Vbiquitatem maximè vrere, quod vestra Vbiquitaria & Capernaitica carcinomata ad suos fontes, vndē dimanant, ritè reuocantur: sicut etiam nuper in Disputatione Heidelbergensi discipulos quoq; tuos, pro quib⁹ etiamnū hodie tantoperè laboras & quorū vulnera sanare studes, pessimè habuit. Caussæ autē cur illud tātoperè vobis doleat, duæ sunt, & facile coniçciunt prudentes: altera, quia pleriq; vestrūm, sicut tu maximè, illam doctrinam, non intelligunt: atque idcirco fallaciaz alicuius mentione facta, veluti Horribili Gorgone obiecta, exhorrescitis: sicut Disputatio Heidelbergensis docuit, & tua querela, quam hic interseruisti, testatur.

Altera verò, quia hac ratione vestræ fraudes & vitiosæ argumentationes commodissimè in lucē producuntur ac omnib. pate-

si unt. Quapropter hoc tibi persuadeas velim, nos post hac ~~anteq[ue]~~  
 tuos ~~lōyus~~, quibus vulgi oculos haec tenus perstrinxisti, non nisi  
 syllogisticè formatos & ad suos vitiosos fontes reuocatos, confu-  
 tatueros esse: etiam si ringantur ubi quietarij omnes. Nunc tertium  
 coccysnum videamus.

Ponis Andrea rumorem ante salutem, utitur, inquis, **praterea**  
**& tali fraude: argumenta pleraq[ue], quòd respondere non posset, quasi nec visa sibi**  
**nec audita essent. sicco pede tranfit.** At mihi homo, noli tam pueriliter ex-  
 ultare, & ante constitutam victoriā triumphum agere. Sophi-  
 smata tua omnia, quae orthodoxæ Disputationi Heidelbergensi  
 opposuisti, nunc confutata sunt omnia: liber est in manibus mul-  
 torum: tuæ fraudes nunc vulgo patent. Itaque noli quiritari tua  
 argumenta sicco pede transfigiri. Sed addis. *Interim autem ne statua vi-  
 deri posset, de reb. friuolis & impertinentibus, prolixas disputationes. interserit;*  
*quas omnis generis atrocissimis conuicijs & contumelij ita illustrat, ut Crate-  
 tem Cynicū magis, quam eruditū & modestum Theologū representare videa-  
 tur.* Hæc verba idcirco huc apposui, ut te in ijs tanquam in speculo  
 contemplari tuasque virtutes, quibus nos oppugnas ad viuum  
 expressas lustrare posses. *Codr autē φάγματον* est ea tribuere alijs, in  
 quibus ipse nunquam non delinquere deprehendaris. Tu tu Andrea de rebus friuolis longos centones farcis, tu eosdem atrocis-  
 simis conuicijs ita exornas, ut certè nemo amplius te pro modesto  
 Theologo habeat. Legant piæ mentes vel hunc solum tuum Cu-  
 culum, & me verissima dicere facile animaduertent.

### Caput 3. de ambitione & fastu Cuculi Jacobandreani.

**R**EDICVLVS profecto homo es Andrea, & dignus qui  
 Cuculi parens saluteris: cum tam miserè & ridiculè  
 colligas: *Grynaeus*, *ais*, *in quibusdam Oecolampodium & Buze-*  
*um Lutheri anteponit: Declaro Vbi quietarios nuper in Disputa-*  
*tione Heidelbergensi non eruditè argumentatos afferit: se verò et-*  
*iam aliorum testimonio, veritatem modestè exposuisse & demonstrasse scribit.*  
*Ergo Grynaeo recte tribuitur ambitio & fastus Cuculi.*

Herculeum profecto argumentum alboque lapillonotan-  
 dum, & quod, sine arrogantiæ fastusque suspicione, nemo erudi-  
 tum esse negarit. At verò mihi Andrea, si vera est tua hæc Cuculina  
 argu-

argumentatio: quid, quæso te per tuam humilitatem & modestiam, de te iudicabunt posteri: Sapientia enim, id quod lippis & tonsoribus notum est, & temere de viris magnis, cum quibus tu nunquam conferri poteris, iudicium faciendum sumfisti: Sapientius verò de ijsdem ita contemtim & scabiosè locutus es & sensisti, ut quām supercilioso ingenio esses nemo ignoraret. Imò Andrea, non propter modestiam tuam sed intollerabilem arrogantiam, non propter humilitatem & ταπεινοφρουνη, sed ob incredibilem fastum non solum Chemnicius, Heshusius, Chytraeus, Selneccerus, sed tota Saxonia te odit, detestatur, & nullo planè loco habet. Imò Andrea ob eadem vitia Tubinga & maxima pars ducatus tui te tanquam tyrannum reformidat & perijste exoptat. Define ergo alijs ea obiectare criminia, quorum iam omnium hominum testimonio reus es. & conuictus.. Grynæus certè, rumpantur ut ilia Vbiquitarijs, ex eorum numero est, qui didicerunt τροποφορεῖν, qui nemini se temere anteponunt, qui cum collegis pacem & concordiam colunt, qui cum singulari modestia munus suum obuent. Atq; hæc ita esse testantur omnes, quotquot cum eo aliquid commercij habuerunt. Sed pergo.

#### *Caput 4. de Cuculi Jacob andrea-ni scabie.*

 Vverò Andrea nec puri alicuius nec cuiusvis Cuculi, sed scabiosi, sed fœtidi & leprosi parentem esse pulchrum duxisti: ut scilicet omnibus pateret inter parentem & prolem nihil interesse. Sed quām fœtidi & horribili scabie labores paucis tibi demonstrabo. *Scabies Calunistica.* Grynæum Zuinglianum esse, nec Christianum nominandum hoc argumento probat Cuculi scabiosi & leprosi parens.

*Grynæus nobis per calumniam Confutationem tribuit: in verbis Cœna metonymiam fingit: signo nomen solum rei significatæ tribuit: doctrinam nostram de Cœna Domini pestilens fermentum dicit: nos Capernauiticam & sensualem manducationem docere scribit: doctrinam nostram de Cœna Domini fermentum. Vbiquisticum, Vbiquisticam Chimaram, ementitatem Vbiquitatem appellat: Danæi impietatem*

*de adoratione carnis Christi excusat: denique Christo contradicit. Ergo Zuinglianuſ eſt, nec Christianuſ nominanduſ.*

Respondeo: Recte negatur Andrea tuum consequens. Non enim idco Christianus non eſt D. Grynaeus: quia te Vbiquitariæ Capernaiticæq; doctrinæ & absurdorum, quæ ex ea necessariò consequuntur, pudere & pœnitere incipit: & quia tu nostram doctrinam tuis calumnijs exosam reddere conaris, eaque nobis attribuis, quæ nulla ratione probare potes. De capitibus vero accusationis, quæ in tuo antecedente ponuntur, suo loco plura dicetur. Ridicula tamen eſt argumentādi ratio, quâ hoc loco vteris.

*Grynaeus dogmata Iacobandreana improbat, eaque suis coloribus depingit: Ergo Grynaeus non eſt Christianus. Item. Iacobus Andreas per calumniam D. Grynae tribuit falsa dogmata, nec tamen id probat: Ergo Grynaeus non eſt Christianus.*

Deus misereatur eorum, quorum mentes ita cæcatæ sunt, vt eos non pudeat hoc tam eruditio ſeculo, tam iuſtis & ἀλόγοις argumentis pugnare.

#### *Cuculi Iacobandreani Scabies Anabaptistica.*

Scripsit Andreas, in ſua Confutatione, nostros de symbolis S. Cœnæ idem docere, quod Anabaptistæ. Hanc ſuam calumniam, ne quid ſine ratione affirmare videretur, athleticè ſcilicet probauit testimonio Anabaptistarum, qui in colloquio Franckentalensi id confessi & protestati ſint. Responſum eſt à D. Grynaeo, non idcirco iſtam calumniam veram eſſe, quia ab Anabaptistis eam hauererit Iacobus Andreas. Nam alioquin maximā doctrinæ theologicæ partem in periculum adductum iri: si Anabaptistis aliquid affirmantibus fides habēda necessariò fuerit. Hoc responſo, quia Iacobo vlcus tetigit: Iacobus id strenuè diſſimulans his verbis extenuat: *Eruditum verò reffonſum, de capi queritur & de allij ſeppondetur.* Imo verò Andrea, ita eruditum eſſe vel ipſe ſentis, vt verbis quidē à te extenuari & ride ri, re ipsa verò diſſolui non poſſit. Tam accu ratè verò & exquisitè ad id, de quo quæritur, responſum eſt, & tu quidē tibi grauifſimum vulnus inflictum eſſe animaduertas: contra vero hifcere non poſſis. Cæterū quid porrò ad telum tibi immissum depellendum affers? Neq; enim, inquis, an confefſio & doctrina Anabaptistarum vera, hoc eſt, verbo Dei consentanea ſit, quæſtio eſt, ſed an hec iporū doctrina verè ſit, quam tum profeſti & vobis cum per omnia conſentire d: Cœna Domini confefſi ſunt. Recte ſanè Andrea: neq; D. Grynaeus id respondit, quod tu, cum Cuculi parens ſis, eum reſpondiſſe fingis.

Inſpici-

Inspiciant lectores locū & te Anabaptistica fide nihil agere intellegēt. Proba igitur optime Disputator, proba inquam, omnia illa vera esse, & omnibus fidē adiungendā, quę ab Anabaptistis dicuntur: aut fatere & agnosce tuum illum coccysinū, *Anabaptista aiunt,* *Zwingianos idem secum de Cœna Domini sentire: Ergo idem sentiunt, elumbent plane & ridiculum esse.* Vides ergo Andrea te Cuculi scabie planè infestum esse: cum Anabaptistarum testimonium tanti tibi faciendum iudicet, vt in re grauissima à confirmando pro Demonstratione habeas.

*Scabies Schuenckfeldica Cuculi Iacobandrici.*

Si Iacobe Andrea, tam facile esset calumnias & falsas criminationes probare, quām facile est eas cōminisci: iam dudum à te vieti manus dedissemus. Et certè si, quod hoc loco gloriaris, aliquot argumentorum pondera attulisses, quibus probaretur nobis vel tantillum cum Schuenckfeldij delirijs commune esse: ea hoc loco minimè silentio præteriſſes. Cum verò tu ipſe intelligas, te pro argumentorum momentis, sophismata, vt aſſoles, scabiosa & non meliora, quām quibus Schuenckfeldius malus Logicus vſus est, nobis oppoſuifſe: idcirco eorum repetitione tibi supersedendum duxisti. Quod si autem nō iam pridem pudere & erubescere dedidicſſes, mirarer te non erubescere & frontem contrahere, quotiescumque Schuenckfeldij mentio aliqua incidit: quippe cum Schuenckfeldij de humanitate Christi doctrina vestram de eādē doctrinam è Schuenckfeldiano fonte promanasse luculentissimè demonſtret, & Cucus Cuculo non magis ſimilis ſit, quām doctrina Schuenckfeldiana Brentianæ. Hinc Schuenckfeldius ipſe Lib. 3. magnæ Confefs. aperte conqueſtus est coram toto mundo, iniuriā ſibi à Lutherō & Brentio fieri, quod cum multis in locis, quāc citat, ſimilia ſecum docuerint, de Deificatione & Vbiuitate humanæ naturæ Christi, ipſi tamen in eo tale dogma reprehendat. Tu igitur Andrea te tuosque prius prurigine Schuenckfeldiana purges neccſe eſt: & tūm demum de alijs curandis ſollicitus eris: ne audias illud: ἀλλαγὴς ἀντὸς ἔλεος βέρων, Aliorum medicus, ipſe ulceribus ſcatens.

*Lepra Ariana Cuculi Iacobandrici.*

Adeò miser eſt Andréas in hoc capite, adeò Andabatarum more pugnat, & meritò omnibus commiserandus ſit: id quod paucis demonstrabimus. In ſua Conſutatione, vt D. Grynaeum Arrianæ impietatis ſuceptum redderet, vſus fuit hoc Enthymemate:

*Grynaeum*

*Gryneus fassus est in Disputatione Heidelbergensi, quasdam predicationes de Christo, cuius persona duabus naturis constat, figuratas esse, ad τέσταντιδος pertinere, ad proprias tamen reuocari posse. Ergo & ipse, & quotquot cum eo faciunt, tropicum Christum fingunt.*

Respondit D. Grynæus, & verè, vt omnes sani intelligunt, stolidum esse Enthymema. Andreas verò Cuculum parturiens, stolidū suum hoc argumentum non esse probat his verbis. *Stolidum ait Gryneus esse enthymema, ipse Therebintho stolidior.* Aureum profectō responsū : ita tamen aureum, vt à Cuculi genitore datum facile agnoscas. Ergo Andrea animaduertis & concedis enthymema tuum. verè stolidum esse : idque boni tibi consulendum iudicas, dum modò D. Grynæum Therebintho stolidiorem pronunciare tuo more possis. Cum igitur intelligas tuum illud enthymema tantæ calumniae non sufficere, tribus alijs argumentis niteris, quibus nos Arianos facis : de quibus paucis tecum agam. 1. Argumentum desumis ab exemplo Syluanī & Neuseri, vnde tale enthymema existit :

*Syluanus & Neuserus gregales Grynei ad Arianismum defecerunt.*

*Ergo Gryneus Arianismum profitetur.*

Non solùm stolidum est, sed etiam impium & absurdum hoc alterum Enthymema, id quod paucis demonstrabo.

1. Stolidum esse, inde liquebit. Si nostra doctrina Ariana est : tum sequetur neminem à nobis ad Arianos deficere posse : quomodo enim , dic nobis Andrea, Arianus ab Ariano ad Arianismū deficiat ? Atqui, testimonio Andreæ , multi à nobis ad Arianos deficiunt, nostramque doctrinam odio habent & acerrimè oppugnant. Ergo, teste Andrea, nostra doctrina Ariana non est. Et hic est primus tuus andabatismus.

2. Stolidum esse inde quoque apparent, quod in ipsum Autorem suum retorqueri potest. Si eoru doctrina Ariana est & hæretica , à quibus aliqui ad Arianismum & alias hæreses deficiunt : tum sequetur, doctrinam Vbiquitariorum Arrianam & hæreticam esse. Ratio est: quia Syluanus, id quod nōrunt omnes, Vbiquitarius fuit & in ducatu VVirtebergico aliquandiu Vbiquitariam doctrinam acerrimè propugnauit: Item ab Vbiquitarijs multi ad Papistas defecerunt : plurimi quoque nostram doctrinam, quam illi Arrianam vocant, deserta Vbiquitate, & Capernaïtica laniena, & Consubstantiatione Cameracensi, amplectuntur quotidie. Atqui antecedens, testimonio Andreæ, est verum. Ergo, eius-

eiusdem Andreæ testimonio, Vbi quitaria doctrina Ariana & hæretica sit, oportet. Et hic est alter tuus Andabatisinus.

3. Impium esse sic probo. Si eorum doctrina Ariana est & hæretica, à quibus aliqui ad Arianismum & alios errores desciscunt: tum sequitur talem esse doctrinam Apostolorum & omnium orthodoxorum. *Ex vobis ipsis exorientur viri qui loquantur peruersi, ut discipulos post se abstrahant: Acto. 20. vers. 30. Enobis egredi sunt: (Antichristi) sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permanessent utique nobiscum: sed hoc factum est ut patesceret, quod non omnes sint ex nobis. Iohann. 1. 2. vers. 19.* Deinde notum est, χεισθανον illum Arium, Nestorium, & similia hæreticorum portenta diu in græmio & complexu veræ orthodoxæq; Ecclesiæ victitasse.

Atqui consequens affirmare extremè impietatis certissimum signum est. Ergo de antecedente, & Iacobo Andreæ id inferente, idem sit iudicium necesse est. Habes responsum ad primum tuum enthy mema.

2. Alterum argumentum deducis à testimonio deplorati hæretici Neuseri:

*Neuserus publicè testatus est se à Calvinismo ad Arianismum defecisse, cum  
haec sua manu scripsisset: Quicunq; vult cauere Arianismum, caueat  
Calvinismum.*

*Ergo Caluinianorum doctrina est Ariana.*

Ach miseros Vbi quitarios, qui, vt dogmata sua & falsas criminationes stabiliant & pallient, non solum Anabaptistarum sed etiam deploratorum & ad omnem impietatem nequitiamq; profligatorum hæreticorum testimonij vti necesse habent. Mirum est Andrea, te non à Diabolo quoq; ad nostram doctrinam diffamandam testimonium mutuari. O iniunctam veritatem & veram nostram doctrinam, quæ nullo nisi hæreticorum desperatorum testimonio ab acerrimo eius hoste Andrea oppugnatur. Etenim si Antisthenes, vt autor est Laertius, à malis quibusdam laudatus recte dixit Αγωνία μὴ τι κεκὼν εἴργασμα, Metuo ne quid mali fecerim: Cur non nos & omnes boni nobiscum nobis certò persuadeamus, nostram doctrinam omni carere virtio & omni hæresēs suspicione liberari, dum ab hæreticis nefarijs reprehenditur & odio habetur? Habes responsum ad alterum tuum argumentum.

3. Tertium argumentum hoc est.

*Zuigliani arma nobis nostra è manibus extorquent, & Arianis subministrant.*



E



Ergo eorum doctrina est Ariana.

Antecedens probat Andreas his verbis. *Etenim precipuas de aeterna filij Dei diuinitate S. scripturae sententias ita eneruant interpretes vestri, ut non solum vti nunc ipsis hostes Ariani commode posint, sed & hoc nomine nobis plurimum insultentib[us] interea in sinum effuse ridentibus. Tu tu, inquam, o Cucule dictum Christi: Pater maior me est, pro publica electione de diuinitate filij Dei interpretatus es, quod si ratione diuinitatis, Pater & filius differunt ut maius & minus (quocunq[ue] praetextu vtaris) quam procul ab Arianismo absit, qui non videt, Tyrefia cactor est.*

Res profecto cum Vbiquitarijs Mandrabuli more succedit. Nam à suis Enthymematis, quæ stolida esse ipsi concedunt, ad impia sophismata, ab impijs sophismatis ad hæreticorum mendacissimorum testimonia, ab illis testimonijs, quo quis folio leuioribus, ad manifesta mendacia delabuntur, ut si uas calumnias tueantur. Nam primò quod ait, *nostros plerosq[ue] S. scripturae locos de aeterna filij Deitate ita eneruisse, vt ipsis vti nunc Ariani & vobis insultare possint*, tua Andrea, non nostra vineta cedis: id quod paucis tibi demonstrabo. Etenim notum est omnius, nostros filij Dei cum Patre ὁμοσίῳ multò firmius, grauius, cōstantius & neruosius contra Arianorum impietatem asseruisse, quam vobis. Conferantur nostrorum libri cum vestris & me verū affirmare luculentissimè patebit. Vnus noster Iosias Simlerus Orthodoxis contra Arianos meliorem & utiliorem operam nauauit, quā in totus Vbiquitariorum manipulus. Porro vos, vos inquam Vbiquitarij nobis arma, quibus olim Orthodoxi Arium debellarunt, extorquetis, vos neruos argumentorū inciditis: vos ad Arianismū aditū facitis & faciem præfertis. An nō enim, rogo te Andrea & tuam conscientiam appello, hoc præcipuum & neruosissimum semper fuit argumentum, quo Athanasius, Augustinus, Cyrillus, & alij quotquot cum Ario de diuinitate Christi dimicarunt, Arii impietatem deuicerunt & represserunt?

*Cui actiones & proprietates Dei tribuuntur & realiter conueniunt. eū necessario oportet esse Deum naturalem.* Rationem huius propositionis firmissimam & verissimam, contra quam etiam inferorum portæ nihil poslunt, attulerunt: quia actiones Deo propriæ & idiomata Deitatis essentialia nulli creaturæ, nulli, qui nō sit Deo Patri ὁμοαιοτε tribuuntur & conueniunt realiter, iuxta illud Isa: 40. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quod Cyrrillus Thesaur. lib. 12. cap. 13. contra Arium disputans in hunc modū enarrat. *Quomodo Dominus filius erit, si consubstantialis Patri non est? Nihil enim potest habere gloriam Dei, nec ullus gloria.*

**gloria Dominus appellari preter Deum. Non potest mentiri Spiritus veritatis, per quem Pater in S. Prophetis locutus est , dicens : Gloriam meam non dabo alteri.** Idem plane docuit B. Athanas. de Synod. Aram. & Seleuc. **An aliena, inquit, à Patre substantia istiusmodi rerum caput esse posse?** **An qui talis est alterius substantiae, & non consubstantialis Patri habendus sit?** Cauendum enim ne qua Patria propria sunt transferentes ad illud quod ei substantia dissimile est, in dissimili genere , & alterius substantie delineantes effigiantesq; Patri Deitatem, peregrinam aliquam inducamus substantiam, quam tamen velimus capacem esse proprietatum patrie substantie, & confundamur ab ipso summine ita loquente : **Gloriam meam alteri non dabo.**

**At qui filio Dei omnes actiones seu apotelesma Dei propria et idiomata essentia, cuiusmodi sunt, mortuorum resuscitatio, creatio, adoratio religiosa, omnipotentia, omnipotentia & cetera, tribuuntur passim in S. scriptura, eis realiter competunt. Ergo filius est verus Deus & Patri consubstantialis.**

Hoc præcipuum Orthodoxorum Patrum argumentum fuisse, quo Arium represserunt, tu nunquam negare poteris. Iam verò te rursus rogo, & tuam tuorumq; conscientiam appello, an nō tua illa realis idiomatum Deitatis essentialium in humanam Christi naturam, quę creatura est & erit in æternum, transfusio, huius argumenti neruos penitus incidat? siquidem eā docetur non solum Deo sed etiam creaturæ illa omnia realiter competere & inesse. Pudeat igitur te Andrea utriusq; & quod eius criminis nos reos facis, in quo tu tam manifestè deprehenderis & quod tam apertere cum Ario colludis, eiq; arma subministas.

Secundū quod ait, *Nos. dum vobis insultant Ariani, effuse in sinum rideare paucis respondeo: Vos vestræ fortunæ fabros esse: siquidem Ariani vobis nulla alia de causa insultare possunt, quam quod in gratiam Ubiquitatis vestræ transfusionem illam proprietatum confinxisti & mordicus propugnasti. Et certè quam diu illam retineritis, tam diu rectè de vobis triumphabunt Ariani. Interea tamen contra conscientiam nos tuo ingenio iudicans, fingis nos in sinū ridere: siquidem Deum testem habemus, nobis ex animo dolere, quod Ubiquitaria doctrina non solum Ecclesiæ Germanicas, sed etiam Arianam impietatem iuuat & armat. Non enim sumus ij, qui in Ecclesiæ luctu rideamus, tripudiemus, choreas ducamus, genio indulgeamus: quod assidue agitare dicuntur Ubiquitarij Virtebergici: parùm admodum curantes Ecclesiæ Belgicas, Gallicas & Vngaricas, qui ab Antichristo & Turca iam multos annos grauissimè affliguntur. Quam tamen libidine & ἀπηρεγκίδη Deus paulò post comprimet & vlcisetur.*

Tertiò quodd affirmas, D. Grynæum dictum Christi: Pater maior me est, de diuinitate Christi exposuisse: tam verum est, quam si singas D. Grynæum pro lectione publica se Pontificem Romanum appellasse. Sed ubi os tuum, ubi frons, ubi conscientia, ubi religio Andrea? cui religio non est ea comminisci, quæ tot honestissimorum hominum testimonio falsitatis redargui possunt. Deus tamen, qui iustus est iudex, te ita excœcauit, ut hanc tuam calumniam ita commemorares, vt nemo sanus dubitare possit, te falsum dicere. Tempus enim, quo D. Grynæus illud dictum de Deitate Christi enarravit, omittis: locum, in quo ista acciderint studiosè dissimulas: testes, qui id ad te detulerint, nominare non audes. Quis ergo non intelligat, te nobis fabulam narrare? Profer Andrea, si nobis fidem facere, si te à calumniæ criminè vindicare vis, tempus; profer locum; profer testes tuæ istius calumniæ. Proferes autem post exactum magnum Platonis annum. Quod verò, tuæ calumniæ amplificandæ causâ, aliquot Patrū Orthodoxorum testimonia in medium affers, nihil aliud facis, quam vt te tuis somnijs oblectes & aerem flagelles: illa siquidem testimonia pia & orthodoxa contra nos facient, ubi tu tuam calumniam eo modo, quo dixi, testamat feceris.

## Caput 5. de Cuculi Jacobandrici impietate & ingratitude.



V C V L S Iacobandricus D. Grynæum tribus argumentis impiū & ingratum esse probare conatur: primum est, quod conuicietur: alterum, quod Præceptoris conuicietur: tertium, quod pro gradu Tubingæ adepto aut nullam aut malam referat gratiam. De singulis sigillatim pauca dicam, ne pio lectori molestus sim, & ad grauiora eo breuius & expeditius sit iter.

i. Ad primum igitur quod attinet, sic habeto Andrea: Non tibi conuiciatus est D. Grynæus: sed mores, sed fraudes, sed scelera, sed facinora suis, quod aiunt, coloribus verè depinxit. Tu verò, vt homo astutus es, diuisionis fallacia, quod tibi solenne est, usus, seueriora D. Grynæi dicta à rebus seiuncta nobis percenses, vt pio lectori imponas ac persuadeas D. Grynæum conuicijs te infectatum esse. Aliud verò est Andrea conuiciari & calumniari: aliud etiā aliquius fraudes, fallacias, facinora, mēdacia, calumnias graphicè descri-

scribere: quod D. Grynæum fecisse intelligent facile omnes, qui Catalogum tuum conuiciorum, ut appellas, cum eius Apologia conferent. Mirum autem est Andrea te alijs conuiciandi studium tribuere, idque in alijs reprehendere & exaggerare, in quo tu ipse iam toties deprehensus es. Scilicet quod in alijs scelus & delictum est, id in te Germania Pontifice pro virtute habendum est. Erras, si id credis Andrea. Quis verò, quæso te, bonus vir, quis pius & veritatis amans haec tenus fuit, quem in tuis conuicijs & calumnijs non deformaris? Nemo certè, id quod etiam tui non ignorant: ac propterea multi ex ipsis te λέγοντες Lernam conuiciorum quoque esse iudicant. Eos verò rectissimè de te iudicare, docent prolix illi tui centones è conuicijs & calumnijs compo-  
si-  
ti, quos paucis annis edidisti, & quos docta posteritas execra-  
bitur.

2. Ad alterum quod attinet paucis quoque tecum transigam. *Facit te D. Grynei præceptore;* sed tu vide, quomodo præceptoris munus obieris & explueris. Obiecit Apologia tibi isto biennio, quo D. Grynæus Tubingæ vixit, publicè docere raro fuisse integrum, præ-  
meditato autem rarissimè: quia videlicet tempore alijs rebus & maiorem quæstum & voluptatem afferentibus tribuendum fuit. Ad hoc obiectum tu, etiò omnem pudorem exuisse meritò videaris, tamen nihil respondere audes: quia tibi ipsi conscius es, & quia nō ignoras, idem omnibus constare. De hac tua docendi diligentia etiam alios dum Tubingæ fui, sæpenumerò conquestos esse memini. Noli igitur tam iuueniliter exaltando te aliorum præcep-  
torem nominare, qui & paucas, & malè præmeditatas, & non usque adeò doctas lectiones à te audierunt. Is demum Andrea præceptor est, qui assidue, præmeditatè, eruditè docendo suo munere fungitur: non autem is, qui se tales præbet, qualem tu te multos iam annos præbuisti. Fons, qui ipse sitit, nō nisi æquiuocè fons dicitur: quia præter nomē fontis nihil habet: sic præceptor, qui & malè, & negligenter, & indoctè præcipit, & cui præceptore opus est, præceptor verè dici nec debet nec potest. Nemo certè doctrinam istam, quam & D. Grynæus & alij à te, fonte arido, hau-  
serunt, vel vitiosa nuce emerit. Qui à te doctrinam petit, ab asino lanam petit & è pumice aquam elicit: id quod cum ex alijs rebus multis, tum verò è tuis Disputationibus & maximè è postrema Analyfi Epistole ad Romanos colligi & intelligi potest. Vide Andrea, quam egregium te nobis offeras præceptorem.

3. Ad tertium quod attinet, non multis itidem te detinebo. Exprobras D. Grynæo gradum à te collatum, ac pro eo malam gratiam tibi referri quiritaru. Sed quam quæso malam ille tibi gratiam retulit, quam quod posterioribus curis locum relinques, ac Deo gloriam dans, è vestro Vbiquitario Labyrintho sele expediuuit, ac veritatem amplexus eam modestè profiteri cœpit. Scilicet ideo à vobis gradum illum accepit ut perpetuò & vestrum. & Vbiquitatis mancipium esset. Quod verò idem, à te multis conuiitijs lacesitus & atrocibus iniurijs affectus, tibi ingenuè & liberè respondit; id iure ne an iniuria fecerit, iudicabunt ij, qui sine affectu iudicare possunt. Cæterum cum te gradus collati tantoperè pœnitieat, vt quiescere non possis: vide, quid tibi largiamur. Mitte Heidelbergam legatum, qui diplomā vestrum à D. Grynæo reposcat. Non recusabit D. Grynæus vobis id remittere, vt videlicet eo Sextum Quintum Romanum Pontificem donare, eiusque gratiam vobis conciliare possitis. Proculdubio Andrea, vbi se à te tam honorifice dono ornatum viderit, Pontificatum Germaniæ, quæ iam diu parturis & affectas, sanctiet, consecrabit, tibiq; adiudicabit. Non opus est D. Grynæus vestro testimonio, quem tot præclari viri in Anglia, in Hungaria, in Gallia, in Germania, in Helvetia, imo etiam in ijs locis, vbi Vbiquitas dominari videtur, amant, commendant, admirantur, & colunt. Valeat ergo vestrum Vbiquitarium testimonium: vobis eo opus est, quos nemo doctos viros agnosceret, si vel semel nomina vestra, omisso Doctoris titulo, scriberetis. Et certe, mī Andrea, tam habet D. Grynæus quod doleat se à te, qui in toto orbe Christiano infamis es, promotum esse doctorē: quam tu, eum te promouisse. Sed mitto ista puerorum crepundia.

### Cuculi Jacobandrici leuitas & perfidia.

**C**V C V L I parens Grynæum leuem & perfidum esse probat tali quodam argumento.

Grynaeus scribit, se scriptorum Melanchthonis semper amantissimum fuisse: Deinde se cum Tubingam peteret, Vuitebergam abiturum fuisse, nisi à suis admonitus fuisse. Tertio se in lectiōnibus Tubinga sèpè subtristem fuisse, quod audiret magnos viros hostiliter perstringi: Quartò memoria quorundam, qui vbiquitariam chimaram nunquam professe essent, solatum se esse: Quinto definitionem vniōnis hypostatica Melanchthonianæ oppositam, cui affueisset: item confusione articulorū fidei, de incarnatione Verbi, de ascensione in cælum, & de seſtione ad dexterā

fibi

*Sibi dispuicuisse ait. Tamen illam definitionem & vniuersum negotium defendit: hac fronte & conscientia Doctoris gradum in illa Schola confutus est: iure iurando se deuinxit, velle se in ista doctrina perseuerare: postea operam suam Marchioni Badensi Carolo pia memoria, obtulit, iuramento etiam proculdubio ad illam doctrinam astrictus: Professoris Theologi locum in Schola Tubingensi & votis & priuatis literis ambuit: Brentio filio adulatus amicæ literas scripsit, quibus se patri Brentio commendari cupit.*

*Ergo Grynaeus à leuitate & perfidia non est alienus.*

Etsi tuum consequens cum antecedente, & lutum cum ferro cohæret, & tota argumentatio nihil aliud est, quam funiculus ex arena contortus: tamen, ne pius lector turbetur, fert animus singulas particulas antecedentis examinare, ac pio lectori ostendere, quam  $\alpha\lambda\delta\gamma\omega\sigma$  argumenteris.

1. Ais, *Grynaeus Tubingam petens Vvitebergam erat abiturus, nisi amici disuassissent: Ergo Grynaeus leuis est.* Carneadiū profecto argumentū, & dignum, quod in memoriam tui Cuculi aureæ statuæ incidatur. Scilicet is Vbiquitarijs leuis est, qui alijs bonis & prudentibus viris more gerens, suū mutat cōsiliū. Sed quid de te iudicabunt tui Andrea, qui ante bienniū circiter relicta re familiari perpetuū cœlibatū vouisti, nunc à libidine admonit⁹ repente è vestigio vxoreni opulentiam duxisti? Scilicet vos Vbiquitarij nunquam mutamini.

2. Ais. *D. Grynaeus fatur se Philippī eiusq; scriptorum semper fuisse amantisimum: Ergo Grynaeus leuis est.* De scopis dissolutis nihil hoc loco dicam. Hac verò tua voce etiam Lutherus, quem nobis sacrosanctū esse vis, quem  $\alpha\lambda\delta\gamma\omega\sigma$  fingis, eodem crimine condemnabitur. An oblitus es verba Lutheri? *Eum contemptum hominem corām Deo esse oportet, qui Philippū contemperit.* An planè ex animo tuo effluxit honestissimum eiusdem iudiciū de Locis Communibus Philippi: *quo eos omnium Patrum scriptū longissimē anteponit?* Imò Andrea quid de te iudicabunt omnes recte sentientes, quid de Brentio Patriarcha tuo? qui viuum Philippum tantum non adorāstis: mortuum verò arrofistis, condemnāstis, & omnibus probris affecistis. Egregia scilicet vestra constantia: de qua recte dicitur: Mortuo leoni etiam leprores: cætera intelligis.

3. Ais, *Grynaeus ait se in publicis lectionibus saepè subtristem fuisse, quod audiret magnos viros, & de Ecclesia optimè meritos hostiliter perstringi.* Ergo Grynaeus est leuis Ergo in vestris Ecclesijs Suevicis, Saxonicijs, & alijs multi sunt leuissimi homines, quibus tua intemperies, immodestia, libido optimos quoque infectandi mirum in modum displi-

cet, ac grauissimum dolorem affert. Non enim omnes, sicut manipulus Vbiquitariorum Theologorum, omnē humanitatem ex animis amiserunt, nec omnes in Stoicos ἀπάθεις mutati sunt: vt indignis rebus non moueantur amplius. Retinete vobis Stoicam vestram ἀπάθειαν: modò relinquite nobis Christianam Κυριακήν, neque auream istam virtutem levitatem nominetis.

4. Ais, Grynæus fatetur, sibi definitionem unionis hypothatice, quam tu Melanchthonianæ opposuisti, nec non confusione articulorum fidei à vobis confitam dispuicuisse: & tamen illam definitionem & totum negotium defendit. Ergo Grynæus leuis est. At Grynæus de hoc, quod obijcis, crimen iam antea tibi Apolog. pagina 9. & toti Ecclesiæ satisfecit. Non fuit ille autor istarum thesiū, quas ne tu quidem contra aduersarios tuos defendere potuisti, sed respondentis tantum munus obijt: non quidem idcirco, quod eas theses per omnia probaret, aut mordicus defensurus esset: sed potius vt collatis sententijs veritatem, quam tum non plenè perspiciebat, cognosceret. Quapropter postquam animaduertit te nec in ipsa Disputatione cominus tuas theses tueri, nec eminus eas oppugnantibus satisfare, piè fecit, quod posterioribus curis locum dedit, Vbiquitatiq; renunciauit. Quæ res ei maiori gloriae (crepet inuidia) apud omnes recte sentientes erit, quām vos vñquam quibus nihil aliud est propositum, quām pertinaciter δέσμη φυλάττειν, adepturi sitis. Deo patri æterno gratias agimus, quod pium hunc & integrum virum Vbiquitatis peste liberauit.

5. Ais, Grynæus et si ei dispuicuit definitio Unionis hypothatice & confusio articulorum fidei: tamen sumnum gradum in nostra schola petiit & consecutus est. Ergo leuis est. Et D. Grynæus Apolog. pag. 7. tibi fallitus est Andrea, à se imprudenter factum, quod propinquorum & amicorum consilio morem gerens, à te homine infami gradum doctoratus petierit: & alij honesti magnique viri nihil D. Grynæo tam dolendum esse iudicat, quām illud, quod à te Vbiquitatis sacerdote inglorio D. Theologiæ titulum, quo etiam vestro iudicio & testimonio dignissimus erat, accepit. Conferte igitur in posterum vestros illos gradus ijs tantum, quos certò scitis Eutychianisimum, Nestorianisimum, Capernaitisimum, & alia portenta defensuros esse.

6. Ais, Grynæus iure iurando se deuinxit, yelle se in doctrina Vbiquitaria perseverare. Ergo Grynæus, cum illam doctrinā nunc improbet, leuis est. Miserum verò te Andrea, qui tam apertè ea affirmas, quæ falsissima esse vel ipse non ignoras. In iuramento, quod D. Grynæus præstítit, nulla

planè siebat mentio doctrinæ, quam tuæ Theses iam dudum ex-  
plosoꝝ continebant: quomodo ergo inquis eum suo iuramento ad  
Vbiquitariam doctrinam astrictum fuisse? Vide Andrea, quām tu  
ipſe leuis sis, alijs leuitatem falsò obiectando. Grynæus iurauit, se  
doctrinam illam, quę in Augustana Confessione & eius Apolo-  
gia à Philippo Melanchthoni non Vbiquitario sed orthodoxo  
conscripta explicatur, constanter & sincerè professurum esse: id  
iuramentum hactenus adeò constanter & sanctè seruauit, vt nu-  
per admodum nostris author suasorū extiterit, vt Augustana  
Confessio à Clarissimo Theologo D. Shonio publicis lectiōnibꝫ  
ingeniosę iuuentuti explicaretur. In reformatā igitur Acadē-  
mia Heidelbergensi Augustana Confessio, autore suasoreque D.  
Grynæo & consentientibus nostris, exponitur & in pretio habe-  
tur. Tu verò, tu inquam Andrea, vt rem tuam faceres & ex incen-  
dio templi Dianę laudem tibi pareres, summota Augustana Con-  
fessione, cum paucis Vbiquitarijs nouam formulam, contentio-  
nis pomum, Ecclesię Dei obiecisti. Tu igitur is es, qui iuramen-  
tum violasti, qui ab Augustana Confessione ad Vbiquitariam &  
Capernaiticam doctrinam turpissimè defecisti, alijsq; vt idem fa-  
cerent autor fuisti. Quapropter noli, noli inquam alijs periuri-  
um, leuitatem, & alia crimina obijcere: cum tu cum tuis  
manipularibus, lucri nimirum studio & dominandi in Ecclesia li-  
bidine, eadem iam dudum admiseris.

7. Ais, Grynæus operam suam Marchionī Badenſi Carolo, pia memorie,  
obtulit iuramento ad Vbiquitariam doctrinam astrictus. Ergo leuis est. Me-  
moria, cuius mors vinum esse à Plinio perhibetur, te Andrea, qui  
ad tuas calumnias exornandas etiam ea, quæ ante viginti annos  
gesta sunt, ruminas, fallit. Grynæus à Marchione Carolo nullo iu-  
ramento astrictus est: quia magnanimus ille heros facile intellige-  
bat, inter bonos benè agier oportere: neque ita diffidebat, vt vos  
Vbiquitarij, quos propria torquet conscientia. Deinde Grynæus  
non ideo ab eodem fuit vocatus, vt Vbiquitatem in Marchiona-  
tum inueheret, & Capernaistica figmenta disseminaret: sed vt Eu-  
angelicam doctrinam sincerè plantaret: id quod fideliter, rum-  
pantur vt ilia Vbiquitarijs, & cum laude præsttit. Atq; eo nomi-  
ne ab Illustrissimis illius Marchionis hæredibus etiamnum hodie  
amat. Quām verò bonam gratiam vos ab ijsdem inieritis, quod  
eorum nomina Formulae Vbiquitariæ inferuistis, vos non ampli-  
us latere arbitror.

8. *Ais.* *Grynaeus Theologi professoris locum priuatius literis ambiuit in nostra Academia.* Ergo leuis est. Profer, si potes, eius petitionis siue ambitus indicem Epistolam, & pio lectori fidem feceris. Et certè si verum dices, non maiori negotio Epistolā illam protulisses, quām eam quę ad Brentium scripta est. Sed habes ibi tua mancipia, qui tibi hoc modo assentantur, vt se in tuam gratiam insinuent. Illi tamen ad Grynaeū ante paucos annos non vsque adeo honorificas de te, quem nunc assentando demulcere student, literas scriperunt: quas aliquando facile in lucem dabimus. Noli ergo Andrea istis seruilibus susurronib<sup>o</sup> aures præbere, qui nihil aliud agunt, quām vt te perturbatum & implicatum magis perturbent & implicent. Nam vt Gryneus tuum Cancellariatum, Prepositurā, Abbatia, & si quæ sunt alia huius mundi ludibria, nunquā sibi petijt, nunquā affectauit: ita hodie quoq; suis rebus contentus de ijsdem nec per febrim nec per somnium cogitat, tequé omni cura liberat.

9. *Ais.* *Gryneus iuniori Brentio adulatus amicas literas scripsit, quibus se seniori Brentio commendari petijt.* Ergo leuis est. Nisi maior quoq; Brentius, dum Basileæ adhuc in statu humilitatis fuit, nec rapinam duxit æqualem esse Principibus huius mundi, D. Caluino adulatus dieatur, & leuitatis arguatur, quòd ad eum literas humanitatis plenas dedit; certè non licebit vobis hoc argumento D. Grynaeum in leuitatis suspicionem adducere. Verum agite Vbiquitarij, coniungite operas, vociferamini, omnia vndiq; conquirite, quæ putabitis ad D. Grynaei personā deformandā facere: & certè credite mihi, nihil aliud consequemini, quā vt D. Grynaei laus augeatur, & multorum bonorum virorum benevolentia, qua illum complectuntur, magis magisq; excitetur & stabiliatur. Quæ enim maior laus esse potest, quām à talibus hominibus reprehendi & vituperari, quales hodie vulgo putantur Vbiquitarij, maximè vero Tübingenses. Vnum tamen D. Grynaeo dolet, nempe quòd spes, quā de Brentij præstantia iam olim conceperat, ipsum tam vehementer fecellit. Vnum tamen vobis gratulatur, nempe quod vobis eiusmodi homo contigit, cuius soloecismi & alia *Caricula* nobis materiam iocandi & ridendi subministrant. Nam talibus ludis & iocis ludicram & iocofam Vbiquitatem pasci, notum est. Ceterum autores sumus Brentio, vt Epistolas ad se scriptas studiosius afferuet, ne voluptatem illam nimiam fraga comedendi amittat.

## *De hypocrisi Cuculi Jacobandrici.*

**C**V C V L I T ubingen sis parens. D. Grynæo hypocrysin exprimat tali argumento.

*Gryneus nunc ait se pro Iacobo Andrea Deum oraturum, non conuicjjs sed charitate certaturum: nunc verò eidem iudicium diuinum comminatur, eius vitia & fraudes detegit, & aperte confutat ac reprehendit. Hanc probat Andreas longa antithefsum inductione pag. videlicet 40.41.42.43.44.45. Ergo Gryneus est Hypocrita.*

Candidum scilicet argumentum & ex animo ab omni hypocrisi alieno profectum: nisi quod fallacia ignorationis Eléchi gravissimè laborat ac omnem candorē amittit. Scilicet Andrea, duo ista dīs dīa πασῶν pugnant nec ex animo pio & candido manare possunt: vt videlicet quis, humanæ infirmitatis memor, cōmiseratione ductus pro hominibꝫ etiam impijs & hostibus suis Deū prece tur: & rursus in eorū sceſera & flagitia grauius & acrius inucha tur, iudiciumq; diuinum cōminetur. Hæc duo facta Andrea, optimè cōsistere possunt, & ab uno eodemq; animo charitate gemina ardente & candido profici: quippe cū vtriusq; finis sit, hominis conuersio & salus. Nisi fortassis etiā medicus hypocritam agat, qui ægri sui vuneribus nō solūm oleū, sed etiā acetū infundit, nec solūm lenia, sed acria etiā & mordentia remédia adhibet. Sed hæc in oculis tuis mira sunt, qui hactenus aduersarijs tuis conuiciari, male dicere, imprecari affueuisti: pro nemine uero unquam Deum compre candum esse cogitasti. Neque puto tuam impietatem eō progressam esse, vt Heliam Prophetam sincerissimum hypocrifas insimules, qui sāpius in Achabum impium, pro quo haud dubiè ardentissimas concepit nō semel preces, acerrime inuectus diuinā pœnā denunciauit. Neq; vt mihi persuadeo, candidissimū illud Samuelis peccatum eodem condemnabis criminē; q; nunc pro Saule serio orauit: nunc eundem liberè increpauit ac iudiciū diuinū prædictix. Idē de Davide, de Paulo, atq; adeō de omnib. Sanctis, quotquot post homines natos vixerunt, & quibꝫ cum hominibus impijs negotiū fuit, iudiciū esto. Quapropter Andreas alijs hypocrisi obijciendo, se malum Dialeticū, peiorē Theologū, pessimū verò Christianū esse declarat. Nec equidem Andrea, quisquā cui tui mores & sermones, cui tua studia, consilia, facta cognita sunt, pro hypocrita te habebit: quippe cum in omnibus ijs nullū planè pietatis & religionis indicium & documentum eluceat.

# De Cuculi Jacobandrici calumniarum & conuiciorum censura.

**C**Vculus Jacobandricus instituit censuram conuiciorum, quæ à D. Grynæo in se collata esse nugatur, eamque, ut nobis sum am ~~ἀπεργανολογίᾳ~~ probaret, à pagina 47. usque ad pag. 91. producit. Cum autem illa censura, paucis admodum exceptis, nihil nisi nugas & gerras, nil nisi ~~ἀτηλογίας~~ & iocos inciuiles contineat: operè pretium facturum me iudicant eruditii, si temporis, cuius est πολυτέλεσαλον ἀνάλωμα, ratione habita, ea tantum attingam, quæ historicæ sunt & quæ ad controversiam dijudicandam facere videntur. Néque verò quisquam hoc meum institutum reprehendet, nisi qui Vbiquitariorum more rebus friuolis magnos centones farcendo, tempus & otium abutendum temerè ceuiseat.

**Pag. 50.** 1. Andreas D. Grynæo oblique exprobrat nimium vini generosi usum his verbis: *Abstineto aliquantis per à vino, Bacharico prefertim, quia calefacit nimiū, & commensalib. illud, querū est confirmator valetudo, liberalius infunde, & tu acetovtere.* Ach medice cura teipsum: nec alios tuo ingenio iudica. Nota est toti mundo furiosa tua ebrietas, noti sunt sales iocique lepidi, quos inter pocula euomere conseuisti. Et certè D. Grynæi commensales homines nobilissimi à luxu, ebrietate, & scurrilibus iocis, quibus tua vita scatet, plurimum abhorrentes mirantur insanam tuam impudentiam, qua abruptus alijs consilium de usu vini dare animum induxisti. At, Dei gratia, D. Grynæus à gula & ebrietate tam longè abest, quam tu à sobrietate & temperantia: id quod nōrunt omnes, qui te nōrunt. Cæterum Andrea hoc vos Vbiquitarios pessimè habet, quod nuper admodum ~~ἀπεργανολογίας~~, præter voluntatem & expectationem vestram & vini Bacharachici & aliarum deliciarum, quibus Palatinatus, Dei liberalitate, abundat, usus vobis denegatus est. Hoc hoc inquam vobis Vbiquitarijs, qui numerus estis, dolet & stomachum facit. Cum verò facta infecta fieri nequeant, & cum, Deo sic propiciente, tuus dominatus, quo diu Palatinatum vexâsti, iam periodum suam absolverit: noli anxius & sollicitus esse de usu vini Bacharici, quod tuo palato optimè sapuisse nemo dubitat. Abutere pro libitu vino tuo Bibenhusiano: & sine Bacharico eos modicè & cum gratiarum actione vti, ad quos diuino & hæreditario iure pertinet.

2. Multis

2. Multis verbis probare conaris Beurlinum non fuisse Calui-<sup>pag. 52.</sup>  
 nistam. At mi Andrea, nemo eum Caluinissimi insimulauit un-  
 quam. Vbiquitariam Chimæram nequaquam professum esse ve-  
 rè & rectè scripsit D. Grynæus. Tu quidem multa contrà blateras:  
 sed nihil, quo D. Grynæum mendacij conuincas, affers. Postulas  
 è scriptis Beurlini locum aliquem afferri, quo ille Vbiquitatem  
 improbarit. Nos contra iure nostro à te postulamus, vt nobis locū  
 vel apicem è scriptis Beurlini, quo ille Vbiquitatem probarit, pro-  
 ducas: quod vbi feceris nobis fidem feceris. Nam quod de mini-  
 stro quodam vestro & eius Palinodia à Beurlino subsignata nar-  
 ras, apud intelligentes nullam meretur fidem: siquidem hac te-  
 nus nobis fabulas vestras pro Historijs venditaueritis: id quod  
 nuper admodum Epistola Consolatoria, Grynæi Apologia & mea  
 quoq; abundè docuit. Alienus alienus fuit bonus ille vir ab Vbi-  
 quitario figmento; ac propterea superioribus annis ei Parisijs pe-  
 ste correpto parum te fidelem amicum præstitisti: facilè enim tu-  
 listi eum peste absumi, quem Vbiquitatem, tuas delicias videli-  
 cet, non magni facere, nec propugnare sciebas.

3. Grynæum mendacij arguit, se verò mendacio purgat hoc <sup>Pag. 65.</sup>  
 argumento.

Grynaeus fatetur *Apolog.* pag. 25. se Tübingerē reuocatum nondum ex illis  
 controuersiis velut truis extricare potuisse: atq; ea de re ad Iacobum  
 Andreām & alios reuerenter scripsisse. Ergo Grynaeus fatetur se Roetela  
 versantem idem nobiscum sensisse, & literis id esse testatum.

Tu verò ingeniosa iuuentus Enthymemati Iacobandreano  
 maiorem propositionem præfige: ac Iacobandreanus elenches  
 tibi planus fiet.

Quicunq; literis testatur se ex ijs controuersiis, qua inter Iacobum Andre-  
 am & alios agitantur, non posse extricari: eum necesse est idem cum  
 Iacobo Andrea sentire.

Atqui Grynaeus literis suis ad Iacobum testatus est, se non posse ex ijs con-  
 trouersiis extricari. Ergo Grynaeus literis testatus est, se idem sentire  
 cum Iacobo Andrea.

Nunc dic quæso nobis ingenuus lector, vtrum iste homo mi-  
 nus frontis aut mentis habeat? qui adeò impudens & demens est,  
 vt affirmare non dubitet idem esse, testari se non intelligere con-  
 trouersias, & idem sentire cum Iacobo Andrea. Si hoc non est  
 omnem pudorem exuere & insanire: non video certè an fron-

tem & insanum aliquem reperire possis. Sed alio argumento Grynaeum adoriris.

*Gryneus fatetur, se priusquam Røtelæ discederet, piam doctrinam professum esse. Ergo Gryneus ex uno & eodem ore calidum & frigidum simul efflat.*

Mirarer Andrea te tam ludicris & anilibus argumentis pugnare: nisi te Cuculi parentem esse scirem. Cuculum exclusisti: quid igitur miri est, si coccylimos quoq; edas. Sed ad rem. Antecedens negare non audes: quia à Grynœo Apolog. pag. 24. ijs argumentis munitum est: quæ à te quidem lugeri, refutari verò non possunt: quare consequens tibi, in quo Gynæum exagitates, fabricasti: In quo primò petis principium, idq; valdè athleticè, vt fœtui tuo nihil dissimilis videaris. Nam primò niteris falsa tua hypothesi, videlicet idem esse, fateri aliquem se non posse se ex controuersijs ijs, quæ inter te & alios sunt, extricari, & aliquem tecum sentire. Hoc si tu probaueris, tum demum tuum argumentum aliquam veri speciem habebit. Cæterum etsi tibi hoc daremus, quod tu iniquè postulas: tamen tuum illud consequens graui adhuc ignorantis elenchi vomica laboraret, neq; illa Gynæi gemina confessio, vt frigidum & calidum, pugnaret: quippe cum non eodem tempore, quod innuit tua illa particula, SIMVL, esset edita. Id ut intelligas paucis assumam tuum sophisinq.

*Gryneus eo tempore, quo Tubinga discessit & Røtelam venit, idem sensit cum Iacobo Andrea. Ac idem Gryneus fatetur se aliquantò post piam doctrinam amplexum & professum esse. Ergo Gryneus simul ex eodem ore frigidum & calidum efflat, id est eodem tempore pugnantia dicit.*

Nunc tuis istic gerris subiungis interrogatorium magno cum metu & trepidatione coniunctum. Et libenter, inquis, quæsierim ex Cuculo, qualem doctrinam se adferre Røtelam, & docere velle, iuramento affirmauerit, & quid commissarijs nomine Illustris. March. Badens. Car. pia memorie responderit. Respondeo: Miror te Vbiquitarium & Germaniæ Pontificem esse, & Marchionatum toties peragrasse: & tamen hæc ignorare. Ut verò tibi metum illum & dubitationem grauissimam eximam, sic habeto. Commissarij illi nullum à D. Grynœo iuramentum postulârunt: id verò eis respondit, quo optimè contenti fuerunt: suum deniq; munus ita obiuit, vt nihil vñquam à quoquam desiderari in eo potuerit. Imò Gryneus dum Røtelæ Concionatorem & Superintendentem egit, Mombelgardiam missus fuit: à quo verò, tu non ignoras: in quem finem;

Bidea-

Bidenbachius, tristissimæ memoriae, expertus est. Sed quid habes **Pag. 66.**  
amplius? *Grauis tamen, aīs, cauffa fuit, quæ vrgebat vt ore & ore loqueretur.*  
Video te ore quidem & ore, sed sine mente & pudore locuturum:  
uerum age da nobis illam caussam. *Sperabat enim adhuc aliquem professori lucum in Academia Tubingenfi.* Quid audio? Scilicet tum vacabat  
aliqua professio: aut tu ei loco cessurus eras pro tua modestia:  
aut is professionem apud vos sperare poterat, de cuius fide & con-  
stantia in Vbiquitaria opinione tam sollicitè dubitabatis. Nunc  
perge: *Nam docendi in Ecclesia muneris dudum illum pudebat.*

Fortassis non tam illum huius muneris puduit, quam te nunc  
tui Cuculi immaturi pudet: ac propterea eum inglorio cuidam  
Holdero suppôsuisti excludendum: qui quia tuum mancipium  
est, & tamen gloriam appetit (nam nemo est qui non aliquo duca-  
tur laudis & gloriæ studio) boni consuluit Cuculi vitricum fieri,  
vt posset volitare per oravirum. Vos verò Vbiquitarios, qui pu-  
dorem cum pudicitia amisistis iam dudum, non pudet, lucri scili-  
cket & quæstus cupiditate vel tribus functionibus præfici. Quam  
autem bene eas geratis, tuū exemplum hactenus docuit: qui nec  
Ecclesiastico nec Scholastico munere ea, qua par est diligentia  
fungeris; ac illud Xenophontis verissimum esse probas. *Ἄλλα τοι  
τὸν πολλὰ τέχνωμενον πάντα ποιεῖσθαι καλῶς.* Cæterum progrediamur  
ultra. *Sed quod nullam occasionem prætermittendam tenseret, etiam Basiliensis*  
*animos sibi demulcendos demerendosque credidit.* Miserū te Andrea, cu-  
ius fraudes toti mundo patent. Si D. Grynæus professione piæ no-  
stræ & Vbiquitario fermento purgatæ doctrinæ Basilienses sibi de-  
mulcere poterat, & tibi id constabat: quid quoq[ue] te opus erat, mo-  
nente astuta quadam vulpecula, te calumniatrices literas ad Sena-  
tum Basilensem scribere, quibus eam ob hanc ipsam doctrinam  
ἀλλοιεισπίσκοποι accusabas & in odium vocabas? Cur tamen illæ  
literæ ad te remissæ sint, hoc obscurum non est. Sed mihi Andrea,  
nemo est qui ignoret, D. Grynæum ob liberam & ingenuam no-  
stræ doctrinæ professionem Basileæ multas iniurias à suis Colle-  
giis illatas tulisse, varijs artibus oppugnatum, grauibus conuicijs  
deformatum, inquis præjudicijs circumuentum fuisse. Cuius au-  
tem instinctu id factum sit, quem dubitare nunc amplius arbitra-  
ris? Hoc tamen scias Andrea D. Grynæum inclytæ Basiliensis Rei-  
pub. Virtebergicoru olim asyli, benevolentia & studium nulla  
alia arte, quam candidè agendo, piè viuendo, & fideliter docendo sibi  
cōciliasse, auxisse & cōseruasse: atq[ue] ijsdē artib. vestrās infidias, quas  
non

**non leonina sed vulpina assumta plurimas collocaſtis, euitauit & ſuperauit: id quod vos nunc vehementer perturbat.**

**Pag. 67.** 4. Synodo non opus eſſe grauifimis quibusdam & maximè neceſſarijs rebus conatur addicere Andreas. Prima hæc eſt.

*Vos Synodum vrgendo rem ſeriam non agitis. Ergo Synodo non opus eſt.*

Antecedens probat Andreas. *Quid enim vſpertilionibus & Cuculis auium conuentus proſit?* O lepidum & festiuum caput: quod ſi quis nitro lauet, quid eum promoturum putabis? Illi ſcilięt Andreas rem ſeriam agunt, qui inter pocula cibo potuq; turgéntes nunc D. Bezæ, nunc Tigurinorum colloquia anxiè desiderant: co-minus verò congregandi occaſiones oblatas ſtuđiosè declinant. Illi verò Vſpertilio[n]es non ſunt dicendi, qui lucem aspectumq; hominum fugientes in ſuo ſterquilinio crocitant, nec vllis argumentis ē ſuis haris produci poſſunt. Minimè verò gentium illi pro Cuculis ſunt habendi, qui in nidulis ſuis Vbiquitarijs, dum æſtas eſt, anathematismos, falſa crimina, & columnias crepant: hyeme verò ſeſe ſtuđiosè occultant. Mirum autem eſt Vbiquitarias illas aues ſuo cantui tantopere diſfidere, vt ne cum ijs æquo iure con-gredi auideant, quoſ timidos Cuculos & Vſpertilio[n]es eſſe vo-ciferantur. Et hoc eſt primum argumentum, graue illud quidem: ſed audi grauius.

*Hactenus vos nihil præter Lysandri gladium cruentum vibrare vidimus.*

*Ergo Synodus non eſt celebranda.*

Ergo Andrea etiam Scorpionis iectus Synodum prohibere poſſunt. Sed audi: adeóne tibi dolet, Christianum noſtrum Magistratum in duos nocentissimos hæreticos, quos terra ſuſtinuit, & qui in Personam filij Dei apertè, pertinaciter, & ſine omni pœnitentiablaſphemii fuerunt, gladium ſtrinxiffe? Scilicet iuſtissima ſupplicia de duobus extremè blaſphemis hominibus ſumta, tibi tantum tamq; diuturnum dolorem afferunt: cruciatus verò, ſupplicia, & exilia, quæ iam multos annos tulerunt Vngari, Belgæ, Galli, & alia nationes Christianæ, te non modò non ad commiſſationem allicitur: ſed occaſionem præbent ijsiſ inſultandi, & ini-quiū Lysandri gladium obijciendi.

Sed hanc libidinem & ἀπεργασίαν eſt crapula & nimio otio natam Deus breui vindicabit. Scilicet pulchrum, laudabile, pi-umq; fuit, (vt reuera fuit) quod superioribus annis pij Germaniæ

Pri-

Principes Imperatori, quem suum magistratum agnoscabant, acri animo religionis causa restiterunt, atq; etiam armis religio- nem tutari parati fuerunt: inexpiable verò facinus concipiunt Principes inferioris Germaniæ & Galliæ, quod pro vera religione etiam sanguinem suum profundunt. Tu verò Andrea Deo potius age gratias, quod religionis professio tibi haec tenus delicata & quæstuoſa fuit: nec aliorum calamitatibus tam iuueniliter & libi- dinosè, instar alterius Semei, insulta. Sed redeo ad argumentum.

*Synodus, aīs, non est celebranda, quia Lyſandri cruentum vibratū gladium.*  
 Quis verò nostrum Andrea in Brentium exulem, quis in alios ve-  
 stros ministros, quis in vestros Principes, cum ad nos confuge-  
 rent, gladium vibrauit? Si commiseratio, si beneficentia, si libera-  
 litas, si consilium & auxilium gladij cruenti sunt: nostri homines  
 in vestros crudelissimi extitent: sin verò minus, quorum qua-  
 so maiora in vos extant merita, quam nostrorum hominum. O  
 verissimam vocem Fabelhansij, licet Vbiquitati addic̄tissimi:  
*Es sind keine stöhrerebettler auff derden als die äpt vñ Pröbstim  
 Wärteberger Land.* Adeò, sape etiam est olitor verba opportuna locutus.

Ceterum demus tibi Andrea, nostros in Vbiquitarios gladium  
 cruentum vibrasse: tu autem vicissim dic nobis, an illa sufficiens  
 causa sit, cur minus Synodus celebretur? Si negas: quomodo le-  
 uitatis crimen effugies? Si affirmas: Cur vestri toties cum Pon-  
 tificijs, quos cruentum gladium vibrare constat, congressi & col-  
 locuti fuerunt? Illum vero gladium Andrea exhorreſcit, de quo  
 Paulus ad Hebr. 4. vers. 12. *Viuus est sermo Dei & efficax & penetrantior  
 quo quis gladio ancipite: ac pertingit usq; ad diuisionem anima simul & spiritus,  
 compagumq; & medullarum: & discretor cogitationum & intentionum cor-  
 dū.* Hic hic est ille mucro, quem in vos stringimus, & quo vos per-  
 culsi, prælium nobiscum committere non audetis. Audiamus  
 nunc tertium tuum argumentum.

*Gryneus liberè profitetur Caluinistas ea conditione Synodum petere, ni-  
 mirum si in ea damnari doctrinam suam de captivo Christo contingat,  
 non magis preiudicio id sua doctrina futurum, quam vel olim Tyria, Se-  
 leucensis aut Ariminensis pia doctrina de aeternitate filij Dei, vel nuper  
 Tridentina Euangelio. Ergo non opus est Synodo.*

Pag. 68.

Recte facis Andrea, quod tam apertis Calumnijs nobiscum  
 agis. Vbi quæsò Gryneus dixit, scripsit, sensit: si nostra doctrina in  
 Legitima Synodo damnetur, id ei preiudicio tam non fore, quam

pseundo synodi modò commemoratae doctrinæ Orthodoxæ & pia-  
præiudicio non fuerunt. Profer, si potes, paginam, profer syllaba-  
bam, profer apicem : & te manifesta calumnia liberâris. In D.  
Glynæi Apolog. pagina 37. hæc verba reperio : *Vt autem omnes bla-  
ffhemia Arianorum, omnia eorum scripta. omnes pseundo synodi, vt Tyria, Seleuci-  
ensis, Ariminensis. & alia nos fuerunt præiudicio pia doctrinæ de eterna Deita-  
te filij Dei : item, vt Acta Eutychianorum, eorum Henoticum & Synodi, sub Ze-  
none, Bisillico & alijs Imperatoribus, ipso etiam Anastasio Silentiario non præiu-  
dicarunt pia doctrinæ, de duabus naturis in una persona inconfusè, inconsuetibi-  
liter, & in diuulse vnitate : Deniq; & Tridentina Synodi decreta, Euangelio non  
præiudicant : sic nec Iacobi Andreæ, nec aliorum quorundam Theologorum, lu-  
cem Synodi reformidantium, anathematismi, nec applausorum, quos illi habent,  
numerus (nostrorum suffragiorum numero inferior) nostra sanctissima &  
in-  
uictissima cauſe, vel tantillum derogant.*

Hactenus Grynæus. E quibus pius lector facile colligit, te vel  
impudentem calumniatorem esse, qui audeas ea nostris affinge-  
re, de quibus ne per somnium cogitarent: Vel tuos tuorumque  
brutos & iniquos anathematismos pro decretis legitimæ Synodi  
habendos esse: quod quam absurdum sit & ab omni ratione alienum,  
planius fiat, si tua fraus huius syllogismi spacio centroq; in-  
cludatur.

*Quicunq; dicit, Andrea & aliorum Theologorum lucem Synodi reformi-  
dantium anathematismos sue doctrinæ præiudicio esse non posse : idem  
dicit, si in legitima Synodo sua doctrina damnari contingat, id sue  
doctrina præiudicio esse non posse.*

*Atqui Grynæus dicit Iacobi Andreæ & eius gregalium anathematismos  
sue doctrinæ non præiudicare.*

*Ergo Grynæus dicit, neq; si in legitima Synodo sua doctrina damnetur, id  
ei præiudicio futurum esse.*

Hæc igitur sunt tria grauissima argumenta, quibus Andreas  
mouetur, vt Synodus omnino non cogendam sentiat. Mirum  
autem est, eum omisisse quartum, quod omnium neruofissimum  
& ingeniosissimum est, nuperque à quodam nobilis haereticis  
filio in Ablegatione contra Theologos Heidelbergenses excogita-  
tum in hunc modum:

*Nullus est ferè angulus, in quo non Zittingianus latitet.*

*Ergo nulla in modo concedendum, vt Synodus celebretur.*

*Dignus profecto Osiander, cui vel ob hoc argumentum tam  
affa-*

**A**ffabre factum nomen à taligis imponeretur: imò etiam rude do-  
natus immunitatem à publicis muncribus impetraret: vt scilicet  
otio abundans plura ciusmodi Vbiquitatis monstra pariat. Cæte-  
rūm Andrea, cum intelligam vos ipsos, iusto nimirum Dei iudi-  
cio cæcatos, veram ignorare caussam, cur nobis à Synodo tan-  
quam læthifero crocodilo metuatis: en, pro mea erga vos obser-  
uantia, veram caussam aperiam.

**C**ertò certius est, eandem esse caussam contemtu & metus Synodorum in  
Vbiquitarij, qua fuit in Nestorio, heres & lernâ. Ratio compa-  
tationis in eo consistit, quia Vbiquitarij ijsdem planè sunt  
moribus, quibus fuit Nestorius: item quia eadem plane  
est doctrina de æqualitate dignitatis vtriusq; naturæ, seu  
reali idiomatum in humanam naturam effusione.

**A**tqui contemptus & metus Synodorum caussa in Nestorio fuit, animus  
ad arrogantiam & contumelium infraenis, & quod sciebat se orthodo-  
xo Cyrillo imparem esse. Itaq; mandato Theodosij iunioris ad  
Synodum Ephesinam vocatus, ubi videt se Cyrillo impa-  
rem esse, sese subduxit: ac primò Imperatoris mandatum  
aspernatus, deinde Cyrilli argumenta veritus sese in mo-  
nasterium per aliquot annos abdidit: quod tibi nūc quo-  
que solenne est, Andrea.

**E**rgo certò certius est eandem esse contemtu & metus Synodorum in Vbi-  
quitarij caussam. Et hæc de Synodo.

5. Conatur Andreas à veritatis defensione & confessione pe- Pag. 77.  
nitus remouere Iurisconsultos, Medicos, Oratores, Philosophos,  
atq; adeo omnes Christianos, qui publicè S. literas non explicant.  
Vtitur autem primò tali arguento.

i. Hieronymus inquit, habet vnum quodq; propositum suos Principes, Ro-  
mani duces imitantur Camyllos, Fabritios, Regulos, Scipiones. Philo-  
sophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem, &c.  
**E**rgo non licet Iurisconsultis, Medicis, Philosophis & Oratoribus veritatis  
Theologicae patrocinium suscipere.

Respondeo. i. Noli Andrea nobis fucum facere corrumpens  
& detorquens Hyeronymi testimonium fallacia à dicto secun-  
dum quid ad dictum simpliciter. Sensus igitur dicti Hyeronymi  
est, Duces Romani, dum politica tractant, politicos homines imi-  
tetur: Philosophi dū philosophica tractat, Philosophos consulat:  
Poeti dum poemata conscribunt, sibi Poetas optimos imitandos  
proponant: & sic deinceps. In summa luc respicit Hieronymus

ut quisq; in sua functione & officio optimos quosque artifices & magistros eiusdem functionis æmuletur, quod ad eius fieri potest. Atq; hunc verum & genuinum esse sensum rebus additum necessarijs.

1. Si Hieronymus id significauit, quod ex eius dicto infert Andreas: tum sequitur, eundem nec Iurisconsultum nec Philosophum nec Oratorem, salua conscientia, esse posse: & è contra. Atqui hoc est absurdum. Nam sic artes non haberent commune vinculum, nec sibi mutuas operas traderent, & sic omnes disciplinæ optimis præsidijs, quibus adiuuantur, destituerentur. Ergo & Andreana opinio absurdâ est.

2. Sivera est Iacobandreana dicti Hieronymi explicatio: tum se queret neq; Magistratum politicum, neq; Iurisconsultos, neq; Philosophos, neq; Oratores Christianos debere Apostolos imitari. Sed hoc est absurdum: siquidem verum est illud Pauli: Estote imitatores mei, sicut ego Christi. Ergo & Iacobandreana interpretatione absurdâ est & impia. Quapropter accurate id teneamus, D. Hieronymū nihil aliud voluisse, quam Politicis in Rebus pub. administrandis sectandos esse optimos Rerum pub. gubernatores: sic oratoribus in orationibus componendis præstantissimos eius artis magistros: sic Philosophis celeberrimos Philosophos; sic ministris Ecclesiarum & ijs, qui res sacras tractant perfectissimos doctores: cuiusmodi fuerunt Apostoli. Nullo verò modo negavit gubernatores Rerum pub: Philosophos, Oratores, Iurisconsultos posse & debere Sacras literas legere, exercere, fidei suę rationem exponere, eamq; ad Dei gloriam aduersus corruptelas tueri. Verum ponamus Iacobandricam interpretationem veram esse: sed argumenti vim in ipsum retorqueamus..

1. Sivera est Iacobandrica interpretatio dicti Hieronymi: tum tribus modis contra id peccatur ab Andrea: 1. Quod in hoc suo Cuculo, quem Theologicum scriptum esse vult, plura citat Philosophorum, Oratorum & Medicorum dicta, quām Apostolorū. 2. Quod superioribus annis clarissimum Philosophum D. Iacobū Scheckium eō adegit, vt doctrinam & mysteriū de vnione personali duarum in Christo naturarū publico scripto explicaret: quod scriptum Bebenhusij lectum quidem, sed nō intellectum, approbatum tam à Brentio quām Iacobo, atq; vtriusq; operā publicatum: paulò verò post, quia Orthodoxum esse sentiebant, damnatum, suppressum, explosum fuit. Hosiander quoq; quem nunc quia-

quia nobilissimi heretici filius est, rude donatum aiunt, nobilissimum Poëtam Laonicum Frischlinum aduersus Danæum, cui se planè imparem sentiebat, excitauit, ac spongiam, qua se maculis inustis purgatum iri sperabat, expressit. 3. Quod adolescentes Theologiæ studio initiandos, Philosophiæ, à qua alioquin planè abhorret, operam dare patitur. Atqui Iacobi interpretatio est vera: quod ille si non alio argumento, tamen iurando per salutem animæ suæ, & ingenti scypho vini Bebenhusiani exhaustiendo probare poterit.

Ergo & hoc verum est, quod Andreas tripliciter in dictum Hieronymi peccet.

En præclarum doctorem, quem sua culpa redarguit ipsum.

Cæterum Andreas, ut vicioriam adipiscatur, nobis etiam arma, quibus Grynæus se defendit, eripere & infringere conatur his verbis: *Atqui, inquit, Cœlus, sic etiam Lucas, qui Euangelium & acta scripsit, in alienam messem falcam immisit. Respondeo,* inquit Andreas; *Quasi verò historiam conscribere, & de controversiis religionis, presertim Sacramentorum mysterijs, pronunciare idem esset.* Rectè Andrea responderes: si modò ad rem responderes, nec tam pueriliter à scopo Disputationis aberrares. Tua est hypothesis. Medicum medica, Philosophum philosophica, Oratorem oratoria, Iurisconsultum iuridica non autem Theologica tractare debere: secus enim si fiat, falcam in alienam messem immitti. Rectè responsum est: tuam hypothesisin carere fundamento, tuamq; falcam à vera messe aberrare. Ratio est: quia Lucas & medicus & Euangelista fuit. Hoc responsum extenuat Andreas respondendo, aliud esse historiam scribere, aliud de controversijs pronunciare. Ergo concedit Andreas medicos posse historiam sacram texere. Quid ergo reliquum est, quam ut no-lens volens etiam posterius concedat. Nam Lucas scribendi historiam sacram controversias de religione explicauit, veritati testimonium perhibuit, ac se Christi doctrinam & Apostolorum probare & amplecti sua historia testatus est. Liceat ergo & hodie eodē iure & religione Philosophis, Iurisconsultis, Medicis, Poëtis Christianis & Christianæ religionis momenta intelligentibus controversias Christi & Apostolorum cum veteribus hæreticis & recentibus explicare, liceat illis veritati aperte & libere testimonium perhibere, liceat illis suæ doctrinæ confessionem edere, eiusque Confessionis rationes exponere. Ex his apparent quod re-

Quæ tibi reponitur tua illa coronis : Num sic ineptis foliis? num etiam  
in meridi lucerna tibi adhibenda est?

Nunc perge & reliqua quoque arima adorire. *Hic non eius dissemile,* inquis, quod de Eldad & Medad in castris Prophetantibus affers. Durus profectus homo es Andrea: sed cedus tuæ duriæ rationem. Nam & proprius ipsorum Propheta, Caluinus ad miraculum refert, & extra ordinem factum ait, ideoq; amulari aut reprehendere eos Iosuam non decebat. Rem acutetigisti Andrea, scilicet si populus vult. Ergo dic nobis si ordinariè prophetâssent, & sine miraculo Spiritum Dei accepissent, merito fuissent ne à Iosua reprehensi? Responde, si potes Andrea. Cæterum, vt te proprius vrgeam, non est questio, iure ne an iniuria isti duo à Iosua fuerint reprehensi: sed hoc vobis cogitandum reliquit & proposuit D. Grynæus: Vtrum eo Spiritu sitis, quo Moses fuit, nec ne: quippe cum Moses istos duos non modò non prohibuerit: sed insuper etiam optarit, vt totus populus, totus inquæ prophetaret: vos autem clerum verè prophetante in pio hoc munere tam hostiliter arcere concemini? Hic Rhodus Andrea, si saltare lubet. Verum enim erit, quæ hæc tandem insania est? Iacobus Andreas Iurisconsultus, Medicos, Philosophos, Oratores, Poetas formulæ suæ Vbiquitariæ nomina dare, suo suffragio eam approbare, diuersum verò ab Vbiquitarijs in aliquot articulis sentientes & docentes condemnare etiam iniuitos cogit: & tamen tam acri animo suā illam hypothesis, homines modò nominatos de religione cuiusque controversijs iudicare non debere, defendere conatur. Neque ignoras Andrea ante biennium Philosophum & Mathematicum haud obscuri nominis, non modò importunis & crebris citationibus miserè à te, nulla habita ratione infirmæ eius valetudinis, diuexatum, sed etiam loco, quem cum laude tuebatur, multis ægræferentibus à te motum esse: non quidem eam obcaussam, quod circa Eucharisticam controversiam à te discreparer (sibi enim idem de religione, quod tibi, videri, sape coram senatu Academico testatus est) sed eam solum obcaussam, quod suum de controversijs iudicare ac aliter docentes condemnare non esset. Scilicet nostri Iurisconsulti, Medici, Philosophi, & Oratores falcam in alienam messem mittant, si de controversijs iudicant: Vbiquitarij verò si de controversijs iudicare, tanquam impij homines à suis muneribus ab Andrea procul amouendi sunt. Omisera mancipia Vbiquitatis quorum dicta & facta tam fœdere inter se pugnant.

6. Andreas non solum Theologos, sed etiam politicos homines, instar bouis petulci adoritur, eosque mendacij arguere conatur homo miser, quem iam dudum omnis fides defecit. Nam de magnifico viro, D. Christoph. Ehemio, Cácellario in hunc modū scribit. *Si Cancellarius ille, ut nouo hospiti sine gratularetur, sine adularetur, ex musca eleph. nitem facere voluit, id nihil ad nos attinet.* Tu verò factida & ~~τυχαί αφεύνται~~ musca, qui audes etiam in magistratum pium, sicutum, & constantem maledicta conferre? Deus, crede mihi, vestram illam effrenatam contumaciā, quā neminem non luditis, paulò post coercedit & vlciscetur. Cancellarius bona conscientia veritati testimonium perhibuit, studio adulandi nihil fecit. Nam Cancellarij, consiliarij, & nobiles homines nostrorum Principum non necesse habent Theologos nostros adorare aut assentando eorum studia sibi conciliare: quod in Ducatu VVirtebergico fieri omnino oportere multorum literis & sermonibus ad nos perfertur. Manet hic politicis & nobilibus viris sua dignitas & autoritas salua & integra: nihil sibi ex ea decerpunt aut arrogant Theologi: tantum abest ut illos sibi adulari cogant. Vestri sunt isti mores, qui imperare cupitis, & magna ex parte in Ducatu Vvirtebergico imperatis. Cæterum, ut Ilium non irascitur Corinthijs: sic nec Cancellarius noster tibi: quia Elephas, animo magno & excelsō septus, non capit murem Vbiquitarium & ridiculum. Nunc perge, si placet, & maledicta maledictis cumula, & animum tuum explreas: *Et quare non potius Socratem imitari voluisti Cucule* (attende quæso quām Cuculus crebra nomina sui iteratione fese oblectet) *ne enim legens Platonis Lysiam, cum laudes eas, quas sibi immoetus tribuividebat, pro sua modestia non agnosceret, exclamans dixit: Deum immortalem, quam multa de me mentitur ille.* Inspice Andrea insulam tuam orationem, quam ante triennium de Amburbijs tuis oberrationib⁹, de victorijs, trophæis, triumphis hinc inde reportatis thrasonicè Tubingæ, me audiente, habuisti: & in ea inuenies rediuiuum Platonem, qui multa de te (ignosce tibi tuas sorores reponenti) mentitur. Quod cum, vel me tacente, intelligas ipse, idcirco istum centonem ha&tenus tam sollicitè occulastī, nec in lucem aspectumque hominum asserre potuisti. Cancellarij autem oratio, quia vera est, ideo in luce versatur, in manibus hominum versatur, ac in oculis Vbiquitariorum sudes vnguisque est. Nunc perge magistratu obloqui.

Certè nisi Suffenus esset, istud alexandri in mente tibi venisset, qui Aristo-  
buli historiam, quod multa supra fidem fingeret, in fluuium Hydaspen demerfit,  
& ad authorem conuersus, tu, inquit, dignior eras, qui eō precipitareris, qui so-  
lus me sic pugnantem facis. Etsi tibi Andrea Suffeni sumus: tamen no-  
bis venit in mentem eius diei, quo superioribus annis Cuculi  
Vbiquitarij (quorum tamen vnu Bebenhusij tragicè perisse fer-  
tur) suis coccylmis fortissimo & integerissimo huic, quem tu per-  
stringis, viro apud Illustrissimum Elec̄torem tantum periculum  
creārunt, vt Hydaspen vix effugisset, nisi Deus admirabili ratione  
eum è fauicibus mateologorum Vbiquitariorum eripuissest. Cūm  
verò videatis tantam vobis prædam, qua crudelitati vestræ satis-  
facere cogitabatis, è manibus extortam esse, idcirco mirum non  
est, si iam tam impotenter stomachamini. In nunc Andrea, & bonos  
viros conuicijs incessere desine: ne səpius tibi vnu veniat, quod  
monet tritum illud: *Qui, quæ vult, dicit: quæ non vult, audiēt.* Sed quām  
graphicè & viuis coloribus Petrus Apostolus Vbiquitarios illos  
cōtumaces Epist.2.cap.2.v.10.descripsit: *Carnem sequentes, in impura  
cupiditate incedunt, & dominatum despiciunt: audaceſ & ſibi plucentes, non  
horrent dignitates conuicijs incessere.*

7. Scripsit Grynæus & quidem verè scripsit, putidum mendaciū  
eſſe, quod Iacobus Andreas, Patres bis nobiscum pugnare  
per omnia scripsit. Andreas mendacij crimen verè obiectum de-  
clinare à ſe conatur ioco quodam minimè faceto: Si D. Iacobus  
Patres bis vobifcum pugnare dixit, aſſentior ſanè tibi. Centies enim  
im̄o millies vobifcum pugnare, ex refutatione Tortodoxi cōfensus patet. Bella  
ſanè mendacij excuſatio: qua primò ignorantia ſe prodit Iacoban-  
drīca: non enim intelligit ſenſum prouerbij, Bis per omnia. Dein-  
de ſe conſitentem reum eſſe ſine pudore ſignificat. Nam ſe impu-  
nè mentiri poſſe iam dudum ſibi peruaſit. Tertiò, ſuæ concessio-  
niſ immemor factus, principium petendo ſe purgare conatur:  
nā prouocat ad ſuam Orthodoxi cōfensus (quem ille Tortodoxū,  
vino nimirum tortus & ira, appellat) futilem refutationem: quæ  
apud bonos omnes non maiorem meretur fidem, quām Aſlopi  
fabulæ & libri verarum narrationum Luciani.

Quod cum ipſe Andreas odoretur, vt ſagax eſt, alia via aggre-  
ditur, atque Bezae & Caluini exemplo ſe purgare conatur his  
verbis. Nam, quod derogaſſe illum retuſati dicis, et ſi non probes, tamen ſi lar-  
giamur, idem à nobis, Caluino, Beza, & alijs factum, in refutatione Tortodoxi  
cōfensus docuimus. Primo Andrea, quid opus eſt probatione, cum tua.

contu-

etotumelia, qua Patres affecisti, luce meridiana clarior sit? Potes ne negare te Christi Martyrē & Orthodoxū Patrē Vigiliū, diabolico Sarcasmo vsum, Dormilium vocitâsse? Nega si potes. Itē, potes ne negare, te ante triennium Tubingæ in concione vespertina, cum auditorum tuorum haud leui scandalō, scurriliter ridendo augustum illum sanctorum Patrum chorū matres, fratres, sorores, affines, cognatos nominâsse? Nega si potes. Certe cum hæc tibi à me anno 82. in publica Disputatione obijcerentur, ægrè quidem tulisti, negare verò non potuisti: quia non ignorabas tristissimam illam tuam vocem adhuc in recenti auditorum memoria hærere. Deinde quid dices, si pio lectori demonstrauero, te Caluini & Bezae verba peruertere fallacia à dicto secundum quid ad dictū simpliciter? Nam primò Caluinus comparatiuè loquitur, hoc est, Patres cum sacra scriptura confert: Scripturam Patribus anteponit, vt pote quæ sola perfecta & ex omni parte verissima sit: Patres verò S. scripturæ postponit, vt pote qui tanquam Homines, sua quoque ~~Cosmopolita~~ habuerint. Interim Caluinus tam honorificè de Patribus loquitur, & sentit, vt paratum se esse dicat vel ex ijs cum Pontificibus de religione dimicare. Hoc ne quæso est, Patribus derogare fidem? Sed legant pię mentes Caluini præfationem in Institutiones ad Regem Galliæ, & fraudem Vbiquitariorum comprehendent.

Deinde verò Beza in aurea illa sua præfatione in Nouum Testamentum, non de omnibus Patribus, sed de ijs tantum, qui circa Theodosij Magni seculum vixerunt, ait, vix posse quenquam dari, qui non & secum ipse, & ab alijs, multis in rebus, & quidem maximi momenti dissentiat. Inspiciant Lectores locum & vestrām fraudem detestabuntur. Sed vide Andrea, quam miser homo sis, cum te tam feliciter tueri cogaris eorum exemplis, quos iam dum diris quidem, sed brutis tuis anathematismis ferijsti. O miserum mancipium.

Nunc perge & tibi rursus cane. *Istud autem quod de quodam viro docto offers, qui in refutatione Consensus Tortodoxi crimen falsi commisisse nos dicat, quod publico scripto offensurus sit. Respondemus non ingemiscit Antigondas, si Tellus nouas tibias habeat, vt olim de Atheniensibus dicit Epaminondas. Etsi vir ille bonus est, prodeat in lucem: sed fulgur ex pelui est, & quavis algæ vi- lior excusatio: neq; prius id futurum, certò scimus, quam testudo cursu leporem præuerterit.* Rectè facis Andrea, quod Orthodoxum Consensum Tortodoxum appellas: nam eo Vbiquitariorum conscientias mi-

ferè törqueri non ignoramus: & ita quidem, vt ne Siculi Tyranni tormentum maius inuenire et potuerint. Sed noli ita vrgere confutationem vestri centonis, quem dolore commoti Orthodoxo Consensui opposuistis. Nam adhuc probè te meminisse iudico, vos Vbiquitarios in vestro illo centone consuendo non solum operas coniunxisse; sed etiam multū temporis triuisse, multa dolia Bebenhusiana repleuisse, ne scilicet dilutis armis Orthodoxū Cōfensum oppugnare videremini. Si verò te confutationis centonis vestræ tantum desiderium tenet: hortor vt id breui meo tractatu, quem nugis vestris superiori anno opposui, refutando lenias: interea confiet, quod tu tanta auiditate expectas.

**Pag. 82.** 8. Probat Andreas D. Grynæum institutionem S. Cœnæ ad Logon retulisse atque hoc argumento nititur.

*Gryneus thesi quinta à filio Dei sacram Cœnam institutam esse apertis verbis scribit.*

*Ergo Gryneus falso insciatur se institutionem S. Cœna ad λόγον seu verbum retulisse.*

Quām belle verò muli se mutuò scabunt, & quām lepidè ostendit Andreas, se suis discipulis nihilo doctiorem esse. Tu verò ingeniosa iuuentus, Enthymemati Iacobandrico præfige maiorē, & animaduertes, in quos absurdorū gurgites, hac sua à non consequenti fallacia, se præcipitem det homo miser & miserandus.

*Quicunq; dicit filium Dei D. N. Iesum Christum, aliquid vel fecisse, vel dicisse, vel passum esse: is illa dicta, facta, passiones, ad λόγον seu diuinam Christi naturam referit, ac non ad totum Christum.*

Hæc Iacobandrica propositio lerna est, è qua omnis generis hæreses ebulliunt, & quasi ex orco reuiuiscunt: id quod inductione probabo.

1. Si vera est illa Iacobandrica propositio, tum sequetur verū esse Theopaschitarum errorem. Iuxta illud Pauli Hebr. 6.v.6. *Si prolabantur, ut denuò renouentur per resipäsentiam, ut qui rursum crucifigant sibi meti pīs filium Dei, & ad ignominiam exponant.*

2. Si vera est Iacobandrica propositio: tum sequetur, Arianam hæresin verissimam esse, & Christum initium habere; iuxta illud Angeli Luc. i. vers. 35. *Quod nasceret ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

3. Si vera est illa Iacobandrica propositio; tum sequetur veram esse Anthropomorphitarum opinionem, iuxta illud Io-  
han. 9.

han. 9. *Filius Dei est, quem vidisti, & qui tecum loquitur.* Hæc autem per  
āθγαστον οὐδεὶς οὐχι Christo filio Dei minimè tribuuntur.

4. Si vera est Iacobandrica propositio : tūm sequetur Chri-  
stum secundum diuinam naturam tantum mediatorem esse , &  
nobis patrem reconciliasse,iuxta illam Dei patris vocem Matth.3.  
v.17. *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco.*

5. Retorqueatur argumentum in ipsum authorem ; si vera est  
Iacobandrica interpretatio : tūm sequetur aduersus doctrinam  
Iacobandricam , τῷ λόγῳ , seu verbo Gentes & terminos terræ  
datos esse,iuxta illud Psalmi.2.vers. 7. & 8. *Filius meus es tu: ego hodie  
genui te. Postula ἀπέραντα μέρη, καὶ δώσω τοῖς γόνοις σου τὴν  
κληρονομίαν, τοὺς τερμίνους τῆς γης.* Vides ergò Andræa, quod te calu-  
mniandi libido abripiat: vt non tantum veritati bellum indicas ,  
sed etiam cum tua doctrina digladieris.

9. Vitio veritatis D.Grynae, affinitatem D. Erasti piæ memoriæ;  
atque eam affinitatem lucri studio ductum ambiuisse innuit. De  
quo crimine paucis tecum transigam Andræa. Primo nihil dicam de postremo tuo matrimonio, quod non ita pridem, vitæ Be-  
benhusianæ & cœlibatus, quem te perpetuum vouisſe magnus  
rumor fuit, pertæsus, contraxisti. Certe non duxisti vxorem, quam  
locupletares, sed quæ te & Nobilitate, & Diuitijs bearet : ac  
propterea eam tibi ducendam duxisti, quæ te & generis celebri-  
tate, & diuitijs superaret. Deinde nihil quoque dicam de annosa  
quadam vulpecula quæ tibi contra conscientiam, frigidam istam  
suffudit. Id quod minimè miramur. Nam illa huiusmodi insi-  
dijs & artibus Pelasgum in tota sua vita pugnauit: quæ tamen  
nunc toti mundo patent, atque illi tristissimam efficiunt sene-  
tem. Hoc verò exte quæro A R I S T R A R C H A E A N D R A E A ,  
& alienorum morum censor acerrime , vtrum honestius sit  
honestam vxorem , honestè pieque educatam , lauta quidem  
cum re sibi matrimonio iungere: an verò hominis infamis infa-  
mem viduam propter diuitias, vxorem ducere? Nimisrum con-  
cedes prius illud multò honestius & C H R I S T I A N O ho-  
mine dignius esse. Quapropter prius vineta cæde tua, & co-  
gita, ædibus in vestris quæ recta aut prava gerantur: ac tūm  
demum in aliorum vitam animaduerte. Et certè illam histori-  
am, quam modò attigi, sicut etiam multa similia vestra nοθογθάματα

Pag.66.

(*κακογνώμων* volebam dicere) & quæ non procul à vobis, nec ita pridem acciderunt, omnibus suis circumstantijs in publicas literas referemus: nisi à vestro calumniandi studio mature abstineatis, ac nostra benè pieque facta carpere definatis.

Pag. 83.

10 Andræas, vt Eutychi operam nauet, conatur tollere discrimen inter totum Christum, & totum Christi: quod discrimen Orthodoxi confusione naturarum & proprietatum earum in Persona Christi opposuerunt. Vtitur autem tali sophismate interrogatorio: *An non id totum est & dicitur quod suis perficitur partibus? aut anne vobis definitur totum Christi sine partibus, vt sic dicam, integralibus, nisi forte humana Natura ad totum Christi nō pertineat?*

Iugulâsti nos Andrea, vel potius teipsū tuo gladio: ac toti mundo probâsti te penitus in Eutychis castra transfigere: atq; cōtra conscientiā tuam veritatem oppugnare: siquidem in extremas angustias adactus à veritate, ei tamen cedere non vis. Sed ad rem. Totum id est Andréa, fatemur, quod suis constat partibus: neque nos Totum Christi vel sine humanitate definimus, vel humanam naturam ad totum Christi pertinere negamus. Indè tamen minimè conficitur, quod tu confici putas, videlicet inter Totum Christū, & Totum Christi nullum esse discrimen: siquidem totus Christus de persona θλως considerata accipitur, & vocabulum concretum est: Totum autē Christi ad singulas naturas, in abstracto consideratas refertur. Quod vt tandem intelligas, rem exemplis declarabo. Totus Christus est passus, mortuus, sepultus, à mortuis resuscitatus. At verò hinc non concludes Totum Christi, id est, vtramq; naturam passam, mortuā, sepultam, resuscitatā esse: nisi deitatem patibilem, mortalemque statuere audeas. Et ne putas hoc discrimen à nobis inuentum esse, tibi de eo nobiscum tantum certandum esse, en apponam vocem Orthodoxæ & Catholicæ Ecclesiæ quam Damascenus lib. 3. cap. 7. de orthod. fide habet. *Per hoc autem quod dicimus perfectum Deum. & perfectum hominem, plenitudinem & insufficientiam naturarum declarantes. Per hoc verò quod dicimus, Totum Deum & Totum hominem singularitatem, & indivisionem hypostaseos ostendentes. Et unam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur, per hoc incarnatam, secundum Beatum Cyrillum carnis substantiam significantes. Incarnatum est igitur Verbum, & à propria immaterialitate non discessit, & totus incarnatus est, & totus incircumscripsus. Minoratur autem corporaliter, & contrahitur, Deitas autem est incircumscripta non coextensa carne eius, cum incircumscripta eius diuinitate. Totus igitur est Deus perfectus, sed non Totum Deus; Nam non solum*

*Deus.*

*Deus, sed & homo, Et totus homo perfectus, non totum autem homo: Non solum enim homo, sed & Deus. Nam totum est natura representativum, totus autem persona: quemadmodum aliud natura est, Alius verò persona. Hec Damascenus. Nunc ex his verbis Andreas adigatur ad hoc incommodum Eutychianum.*

*Si totus Christus idem est quod totum Christi, & contra: tūm sequetur in Christo vnam tantū esse naturam. Ratio est: quia Christus totus est Deus, sed non totum Deus, cum etiam sit homo.*

*At qui hoc est absurdum, Ergo & illud.*

11. Vrit Iacobum Andreæ quod D. Grynæus, de frequenti suo Pag. 83. auditorio scripsit: atq; idcircò dolore & inuidia tortus male omniari incipit, & D. Grynæo etiam atque etiam videndum ait, ne idem, quod Cytharædo cuidam apud Iassios, ei accidat. Nos verò Deo gratias agimus, quod huius Bileami δύσφημον omen falsum esse & irane quotidie ostendit. Efflorescit enim, rumpantur ut ilia Vbiquitarijs, Schola Heidelbergensis: Confluunt hūc variarum gentium homines, & optimorum parentum optimi filij; Sunt hīc qui & libenter & diligenter doceant: Sunt etiam qui audiunt & discunt magna animi alacritate & studio. De quibus rebus Iacobus Andreæ, et si eum hominem glorioissimum esse constet; tamen gloriari non potest. Quādiligenter enim ille doceat, & quanta auiditate quādam eius mancipia ipsum audiant, iam toti mundo ita innotuit, vt eius rei ipsum iam meritò pudeat.

12. Hic demum Andreas iuueniliter exultat, ac se inuenisse Pag. 84. confidit, quo D. Grynæum à Theologis Heidelbergibus in publica disputatione victum esse & ad manifesta absurdā conce-denda adaētum probet.

Ac primò quidem gaudio triumphans in hunc modum exclamat.

*Hic verò currus boues trahunt, & cancri capiunt lepores.* Ita sanè Andrea res habet. Nam quoties tibi imaginaris phrenesi laborans & Hellebori potu indigens, D. Grynæum à tuis manipularibus tam magnifice victum esse & prostratum: toties ab Vbiquitate dementatus currum boues trahere, & cancros lepores capere, hoc est, rem planè ἀδύωλον tibi imaginaris. Nam primò quis ignorat, qui disputationi interfuit tuos istos, quos tantoperè commendas, emissarios sua sophismata ex chartis vix legere potuisse? Tantum abest, vt de victoria adepta gloriari possis.

Deinde verò quis inquam Christianus hoc sibi persuaderi patietur, Vbiquitaria figura veritatem præualere, aut eam vincere:

posse? Nostri enim illud ab omnibus pijs comprobatum: *et vixit et  
dixit*, inuita veritas. Deinde per *ulpius* D. Grynæi verba recitat. *Nam de non Entis efficitare si qui tumultuabuntur Dominus eos compescet.* Hoc certò futurum esse tibi Andræa, et si haec tenus omnia pietatis & æquitatis repagula perfregisti, certò persuadeas. Nam Deus vindicem oculum habens effrenatam tuam libidinem & furorem, quo iam diu Ecclesiæ Dei illusisti, diutius inultum non feret: nisi matura & seria pœnitentia, quam tibi serio exoptamus, Deo obuiam procedas, eiusdem vindictam anteuertere studeas.

Tertiò ad dictum Grynæi respondet Andreas, homo profectò miser & miserandus: Respondeo, inquit: *Mirabar initio, quid rei esset,  
& quare paucis tantum ista attingeret, sed postea quid esset comperi.*

Imò verò te illud nondum compeperisse, ac de re tibi penitus ignota temerè pronunciare res ipsa loquitur, & ego pio Lectori ad oculum demonstrabo.

Cæterum quarto loco expone nobis quod compeperisti: *Post-  
quam, inquis, disputatione publica in eos ceu compedes, homo eruditus coniectus  
esset, vt concedere vel inuitus cogeretur, aut non Entis esse accidentia, aut Pa-  
tres Veteris Testamenti, non eandem nobiscum escam in Sacra Cœna comedisse,  
ille, quod errorem errore cumulare, quām vnum agnoscere satius esse crederet,  
non Entis etiam accidentia esse, largitus est.*

Hæc Andræas se compeperisse ait: Sed ab illis fortassis compedit, qui fumos vendere & fabulas spargere tam turpe ducunt, quām Iacobus Andreas ipsorum Patriarcha. Tu verò pie Lector quid rei sit paucis mecum recognosce, vt qualis vir sit Andreas vel ex hoc ipso loco intelligas.

Philippus Marbachius magni istius Marbachij filius, qui olim Flacciū fuit eiusq; dogmati de peccato Originis magno cū Ecclesiæ scandalo subscriptus, vt Veteres in suis sacramentis umbras tantum, rei verò nihil habuisse aut percepisse probaret, hoc argumento quod procul dubio meminerunt omnes, qui disputationi interfuerunt, vsus est:

*Non Entis nulla sunt accidentia:*

*At corpus Christi in Veteri Testamento fuit non Ens:*

*Ergo in Veteri Testamento corporis Christi nulla fuerunt accidentia, ac  
propter ea à Veteribus Patribus manducari non potuit.*

Responsum fuit, & quidem ita responsum, vt omnibus p̄is  
mentibus sit satisfactum, & vt Iacobus Andreas, ceteriq; eius gre-  
gales ad illud responsum ne hiscere quidem possint: Videlicet ho-  
monymian seu æquiuocationem in vocabulo Entis esse; atq; dictu  
nefas esse Corpus Christi in Veteri Testamento simpliciter non  
Ens fuisse: quandoquidem Ens fuit promissione diuina; quando-  
quidem Ens fuit fide, quæ est *in bœvis* earum rerum, quæ speran-  
tur, & certissima demonstratio earum rerum, quæ non videntur:  
quandoquidem Ens fuit respectu dicti Christi, Abraham deside-  
rauit videre diem meum & vidit, & gauisus est: quandoquidem  
Ens fuit respectu dicti Paulini, Iesus Christus heri, hodie, idem &  
in saecula: quandoquidem Ens fuit respectu illius dicti, Agnus  
maestatus iam inde ab Origine mundi. Vides ergo p̄iè Lector, pri-  
mūm, quām impij sint Vbiquitarij, qui corpori Christi etiam in  
Vteri Testamento accidentia contra hæc expressa S. scripturæ te-  
stimonia, detrahere non dubitant. Deinde verò quām iniqui sint  
accusatores, dūm aiunt nos concessisse non accidentia: quippe  
cū ip̄is nunquam dederimus, nec in æternum daturisimus, Cor-  
pus Christi in Veteri Testamento, simpliciter non Ens fuisse.

Mirum autem est pie Lector, Vbiquitarios hoc suum falsum  
& contra propriam conscientiam confitūm crimen tantoperè  
exaggerare, tamque crebro recoquere: Cum illi passim scribant  
& impiè doceant corpus Christi in Veteri Testamento simpliciter  
non Ens fuisse; & tamen affirmare non erubescant Veteres ef-  
fecta & fructus corporis Christi percepisse. Scilicet absurdum est  
affirmare non Entis esse accidentia, quod tamen nostrūm nemo  
vnquam fecit: Rationi verò consonum est dicere non Entis esse  
effecta, hoc est, effectum ante caussam esse, aut effectum sine cau-  
sa existere, quod Vbiquitarij ab Vbiquitate cæcati pertinaciter  
docent. Hic verò Andrea boues currum trahunt & cancri Vbi-  
quitarij leporem capiunt.

Præterea in Dialectica Vbiquitaria absurdum est dicere, vt re-  
uera est, non Entis esse accidentia: Eadem verò Dialectica à ra-  
tione & veritate non abhorret dicere corpus Christi corporali-  
ter, substantialiter, realiter in & sub pane non modo sine acciden-  
tibus, sed etiam sine proprietatibus essentialibus delitescere: O  
monstra, ô portenta Vbiquitaria.

Tandem Andræas hoc suum crimen egregia coronide exor-  
nat,

nat, atq; grauissimo testimonio confirmat. *Ob huius, inquit, para-*  
*doxi subtilitatem, cum explosus esset publicè ab vniuerso auditorio, iam eum pu-*  
*dere incipit, & Christum sibi mala causa patronum, substituere conatur.*

Dignum profectò patella operculum. Cæterum Andrea si  
ranti strepitum quorundam vestrorum mancipiorum & ad hoc  
negotium conductorum faciendum nobis esse iudicas: audi quæ-  
so, quem iste strepitus potissimum petierit, tuum tuum, inquam,  
Marbachium, qui de non Ente tamen subtiliter disputans eo usque  
progressus est, ut actum primum & Ens re ipsa differe assuerar-  
ret, atq; corpus Christi in Veteri Testamento actu primo fuisse,  
Ens tamen non fuisse, cum magna audientium admiratione dice-  
ret. Ibi tamen cum absurdissimum eius hoc leptologem in hunc  
syllogismum redigeretur,

*Quod est actu primo id non est actu primo.*

*Atqui corpus Christi in Veteri Testamento fuit actu primo.*

*Ergo corpus Christi in Veteri Testamento non fuit actu primo.*

Ibi tamen discipuli Marbachiani, auditores videlicet tuos in di-  
sputatione VVittebergica secuti, hoc preceptoris sui eruditio-  
nis & doctrinæ certissimum argumentum supplosionibus pedum,  
pro sua in præceptorem pietate, excepérunt. Tanta tanta in-  
quam Marbachianæ de non Ente disputationis efficacitas fuit, ut  
etiam temeritatem discipulorum in præceptorem concitaret.

Pag. 85. 13. Redit Andreas ad defensionem Palinodiae Berengarij, ut  
se ex Vbiquitario Transsubstantiatorem factum esse ostendat.  
Ac primò quidem gloriatur se in sua confusa Confutatione per  
paginas tres penè integras hinniuissimè: ut videlicet à Pontifice  
Romano, bonam ineat gratiam. Deinde gloriatur in stolidâ illâ &  
olida Orthodoxi Consensus refutatione nostros in Berengariana  
Palinodia citanda crimen falsi commisisse.

Quæ inanis & falsa gloria eum ita titillat, ut quasi triumpha-  
bundus in hæc verba erumpat: *Ad quod cum ne hiscere quidem audeas*  
*Cucule, an non turpiter te & causam vestram deseris?* Pijrauste gaudium  
est Andrea. Näm paucis efficiam ut ista, qua tantopere efferris,  
voluptas ad tristitiam tibi recidat. Bona conscientia freti ad tuam  
iniquam & contra conscientiam confictam accusationem non  
modò hiscimus, sed etiam liberè & apertè respondemus, te vide-  
licet rerum, de quibus pronunciare soles, ignarum rancidam  
hanc accusationem stolidæ tuæ Confutationi inferuissimè, & in his

*Caculi*

Cuculi tui coccys mis repetijsse. Nam inspice Guidmundū, inspice Lanfrancum, qui, quod Transubstantiationi faueret, & Romanæ sedi vellet, Berengarianam Palinodiam, vt tu quoq; ijsdem nimirum caussis adductus, contra Berengarium defendit: & inuenies vtrumq; eodem modo & ijsdem verbis istam Palinodiam, pro qua tu tanquā focus & aris pugnas, concepisse & legisse. Neq; credibile est Andræa duos istos, quibus Nicolai Papæ dignitas & confessio non minori curæ fuit quam tibi, in Palinodia citanda & legenda crimen falsi commississe: quippe cùm eam omnibus viribus propugnare decreuissent.

*At verò, inquis, in Decreto Iuris Canonici, quod hodie in manibus hominum est, aliter, atque authorem Orthodoxi Consensus legisse.*

Ita sanè se res habet Andrea: sed meminiſſe te oportebat eum, qui Decretum Iphonis edidit in prefatione testari pleraq; in Decreto Iuris Canonici, quo nunc vtimur, valdè deprauatè esse citata, quæ ex Iphonis Decreto, ex quo sua compilauit Gratianus, restituenda sint. Nunc iudica pie Lector, vtrum Andreas, an verò authör Orthodoxi Consensus criminis falsi admissi accusari & conuinci possit: quippe cùm hic suę lectionis Guidmundum, Lanfrancum, Iphonem, vetustissimos authores testes & suffragatores habeat: Andreas verò suam lectionem & calumniosam accusationem ex lacunis corrupti & depravati exemplaris hauserit. Hic Andrea si potes hisce, hic si potes calumniæ luspicio te libera. Et certè plurima eiusmodi fidei tuæ & candoris in Confutatione Orthodoxi Consensus extant documenta: quę haud multum post detegentur & Christiano Lectori dijudicanda proponentur: vt tandem omnes tuas artes intelligent & execrentur. Sed quid amplius? Deinde, aīs, responsum est ijsdem phrasibus, quas Palinodia habeat, & Patres vt tantur, itaq; per Lutheri latuſ ipsam Antiquitatem te petere, vbi rursus Cuculus ne hiscere quidem andet.

Si is Cucus est Andrea, qui hoc loco hiscere non audet, paucis efficiam, vt omnes te Culum esse cognoscant. Patres Orthodoxi aut Consubstantiationem approbārunt, aut eam propugnārunt. Si eam propugnarunt, vñā cum Palinodia Berengariana loquuti sunt. Si verò Consubstantiationem oppugnārunt, vt certè oppugnārunt, qui audes dicere, eos cum Nicolao Papa & Cardinali Cameracensi, Clarissimis Transubstantiatoribus, loquitos esse? Hic Andrea, si potes, hisce, & hiscendo fatere vel Berengarianam Palinodium ad Consubstantiationem stabiliendam edi-

tam non fuisse: vel Patres Orthodoxos Transsubstantiatores fu-  
isse: vel Patres cum illa Palinodia non loquitos esse, ac proinde à  
te magna contumelia affici. Hic hisce Andrea. Sed quomodo hi-  
scis? *Et ut intelligas, inquis, Christiane Lector, qua fide egerit Cuculus & so-  
cius Calvinista, Lutheri verba subiectam, ex quibus Cuculum non esse virum bo-  
num apparebit, adeò perspicue, vt contra hincere non posset. Ait autem inter ca-  
tera de Palinodia Berengarij Lutherus: Perpetuò verum manet, quod nemo cor-  
pus Christi videat, tangat, comedat, aut dentibus conterat. Nam quod de Pane  
fit, rectè & bene corpori Christi tribuitur, propter unionem sacramentalem.*

Neque tu Andrea boni viri officio fungeris, qui manifestas  
Lutheri contradictiones, quas meritò sepelire & occultare de-  
bebas, toties in lucem aspergimusque hominum affers, neque nos  
ideò à bonorum virorum officio discedimus, quod Lutherus ma-  
gnus alioquin Dei seruus, interdum sibi dissimilis fuit, ac sibi con-  
tradixit. Scis scis Andrea, Lutheru nihil tam in optatis fuisse,  
quam vt omnes Papæ tam piè, quam Nicolaus patronus vester,  
sensissent. Sensit autem Nicolaus, vt Palinodia Berengaria-  
na docet, Corpus & Sanguinem Christi S E N S V A L I T E R  
non solum Sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tra-  
ctari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Hæc hæc, inquam Lu-  
therus publico scripto probauit & summoperè commendauit,  
quod ne tu quidem hincere negare potes. Cur verò Lutherus in  
Maiori Confessione illam suam approbationem & commenda-  
tionem retractarit, nobis ratio reddenda non est, neque illa res  
nobis præiudicio esse debet. Lutherus ergo sensit, Corpus  
Christi S E N S V A L I T E R tractari, frangi, dentibus atteri  
non solum in sacramento, sed etiam in veritate: & idem Lutherus  
sensit Corpus Christi nec tangi, nec dentibus atteri nisi propter  
unionem sacramentalem seu in sacramento. Hic hisce Andrea si  
potes: sed facilius, vt iudicant sapientes, tibi erit rudere, quam  
hincere.

Pag. 91. 14. Ridiculum valde est, quod Andreas ex doctrina Pauli de  
captiuanda ratione nostra in obsequium Christi colligit nos in  
rebus diuinis, equos, asinos & mulos esse. Et Grynæum reprehendit  
quod Paulum sequutus Φορίποντος nos etiam in mysterijs sacra-  
mentorum esse debere docuit, non verò vel equos vel mulos.  
Quasi verò dicti Paulini, *Captiuam ducite rationem vestram in obsequi-  
um Christi*, hæc sit sententia: Ex hominibus prudentibus, & res  
dijudicare valentibus, ratione denique præditis, conuertimini  
in

in bruta animantia, qualia sunt muli, asini & equi. Elegans profecto & arguta dicti Paulini interpretatio, & digna quæ non homini ratione prædicto γε φεονιμοφ, sed Cuculo, sed asino, sed equo, sed mulo attribuatur.

Nam tām inepta, tām insulsa, tām deniq; impia est & à ratione recta, quæ radius est lucis diuinæ, nemo sanè nisi mulus & equus sit, sibi persuaderi patiatur; multò autem maiorem gratiam hæc asinina Paulini dicti interpretatio habitura erat, si eam suauissimo illo ioco, quo ante triennium, vt probè memini, in publica concione auditorium suum somniculosum refecit & excitauit, illustrasset. Nam ibi tum Lutheranos, quos vocabat, non asinis terrestribus, sed asellis marinis, quos vulgo Stockfish appellant, festiuè admodum comparauit? hac ratione eos à Papistis, quos cum lupis, & Zuinglianis, quos cum anguillis contulit, discernens.

### *De rebus ipsis.*

PRincipio Cucus Iacobandricus contextit longum catalogū insulorum coccymorum, quos aduersus disputationem Heidelbergensem impotenter euomuit, & ad quos responderi à nobis non posse gloriatur. Cæterum quid hīc aliud facit, quām vt, suo more, eandem Cramben recoquat, rumorem ante salutem ponat, & ante victoriam partam triumphum agat. Nam isti coccyymi omnes, Dei gratia, ita refutati sunt, vt omnibus pijs & veritatis amantibus satisfactum sit, & vt eorum cùm ipsum Andream, tūm verò totum Vbiquitiorum manipulum pudeat atque pœniteat. Noli igitur Andrea nos tuo ingenio iudicare, qui disputationem VVirtebergicam iam ante biennium à nostris solidissime refutatam tām turpiter deseruisti, eamque tibi iam sordeſcere silentio tuo, quo vltra biennium iam usus es, haud obscure significasti. Quæ certè res etiam tuis gregalibus quibusdam doctrinam tuam Vbiquitariam & Capernaiticam suspectam reddidit, eorumque animos non leuiter debilitauit. Dissolue itaque prius as tuum iam dudum contractum, & tūm demum tām rigidè ab alijs, quæ tibi debere videntur, reposcerre incipe. De nobis verò, et si nunc OSIANDRVM te doctiorem, nunc GERLACIVM HOLDERO doctiorem, nunc OSIANDRVM GERLACHIO doctiorem, nunc

iuniorem Brentium vobis omnibus centuplo doctiorem aduersus nos pro tuo dominatu, quem in omnes illos exerces, concites, hoc tibi persuadeas iubeo, nos nostræ caussæ nunquam defuturos esse, & semper sine omni interiecta mora, tibi ea, quæ à nobis debentur, liberaliter reddituros esse.

## *De basi doctrina Caput primum.*

**Pag. 36.37** 1. Iacobus in sua confusa Confutatione, ut probaret, verba institutionis, nostræ piæ sententiæ de Cœna Domini basin & fundamentum non esse, tale argumentum formauerat:

*Eorum doctrina de Cœna Domini, basis sunt verba institutionis, qui continentur differre plurimum, hac duo verba Est, & Significat.*

*Atqui ego Iacobus Andreas fateor differre illa duo verba: E contra y, qui à nobis dissentunt, negant illa duo differre. Ergo.*

Responsum fuit Maiorem petere athleticè principium: ac propterea in Minore nihil sanum nihil sacrum esse. Andreas igitur, ut sagax est, odoratus argumentum hoc vitiosum planè & prudicum effenunc aliud format, atq; prius illud pro suo nō amplius agnoscit. Sic igitur, mutato vultu, nunc se argumentari ait:

*Quicunq; docet panem Cœna Domini significare Corpus Christi, si non nititur verbis institutionis tanquam basi: Hoc faciunt Calviniste.*

*Ergo:*

Maiorem probat Andreas his verbis. *Quia aliud est esse rei, aliud verò nomen. Cum autem Christus dicat, Panem esse Corpus suum, recedere à verbis eos, qui significationem tantum & nomen Corporis Christi pani tribant.*

In primo probationis membro, quis non videt Iacobum Andrewam ludere ambiguitate vocabulorum? ut videlicet simplici Lectori, sicut afflolet, fucum faciat.

Tu verò pie Lector, distingue Esse naturale seu substantiale, ab Esse *χειρῶς*, analogico, & relatiuo, atque Andreæ infidias, quas toti Ecclesiæ Dei collocat, animaduertes & euitabis. Panis igitur, si absolute & in sua substantia consideratur, rectè dicitur aliud esse à significatione, seu ab ea re, quæ panem significat & repræsentat. Si verò panis consideratur *χειρῶς* relatiuè, quatenus nimirum ordinatione diuina fit sacramentum Corporis CHRISTI, seu, quod eodem recidit, adhibetur ad significandum, repræsentandum, & obsignandum Corpus

pus Christi pro nobis mortuum: tum' Andreas neque ratione neque autoritate vlla probare poterit, hasce duas phrases , Panis est corpus Christi , & Panis est signum seu significat corpus Christi, re ipsa differre, multò minus pugnare. Et hūc apprimē facit, quod Augustinus, in hac causa testis omni exceptione maior, scribit cont. Maximinum lib.3.cap.22. *Hec Sacra menta sunt, in quibus non quid fint, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia & aliud significantia.* Item lib. 3. in Leuit. *Hinc est quod dictum est, Petra erat Christus: Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod virtus per substantiam non hoc erat, sed per significationem:*

Sed quid opus est multis? Si Andreæ hæ propositiones; *Panis est corpus Christi, & Panis est signum seu significat corpus Christi,* re ipsa differunt: necesse est, vt hæ quoque differant, circumcisio est fœdus, Circumcisio est signum foederis, circumcisio est signum ob signas iustitiam fidei: Item hæ; Agnus est transitus , Agnus est signum & memoriale transitus , re ipsa differat. Ratio est: quia utrinque sunt Sacramentales locutiones, atque idcirco eodem modo resoluenda & intelligenda. Sed adeo ne impius & audax est Andreas , vt affirmare auit, Deum suaverba & Paulum Dei verbū pro fundamento & basi non habere , quod illas locutiones eo , quo dictum est, modo explicarunt? Non equidem id mihi persuadere possum.

Cæterum, cum iij verba Christi pro fundamento habere non possint, qui eorum syllabas & dictiones præcisè non retinent, sed ad ea explicanda alia verba adhibent: quid tandem fiet Andreæ & toti Vbiquitiorum gregi? Quandoquidem inter omnes constat eos verba institutionis , Panis est corpus Christi pro nobis traditum, in hasce voces monströsè permutasse Panis , id est, In , Sub , Cum pane, E&t. id est, includitur, alligatur, latet realiter, corporaliter, substantialiter, illocaliter, supernaturaliter, Corpus, id illocale, infinitum, supernaturalē, inuisibile, inpalpabile, gloriosum, maiestaticum corpus , Pro nobis traditum, id est, corpus Deificatum, gloriosum, maiestaticum, vbiquitarium. Vides ergo Andrea te non solum à verbis, sed etiam à sententia verborū Christi genuinam tam longè abesse: quam longè hactenū à studio veri absuisti.

His ita constitutis audiamus nunc simile Andreæ, Vulcani cuiusdam filij, id similitudine ( inquit Andreas sub larua Holderi) ex media rerum natura petita declarauit : *Si cui deberim florenos centū, ille sibi sine pecunia per significationem aliquam satū fieri non pataretur.* Ingeniosa

profec̄tō similitudo , & digna quæ ex confutatione in præsentem locum traduceretur: & non solum Iacobi Vulcāni vox esse, sed etiam Cuculi Vbiquitarij coccysmus esse cognosceretur. Nam præter Vulcanum & Cuculum Vbiquitarium centum florenorum debitum cum Sacramentis, sigillis nimirum donorum gratiæ, nemo vñquam comparauit: duo siquidē illa toto genere differunt.

Cæterū Andrea, si panis Cœnæ non est signum, seu non significat corpus Christi: ipsum essentiale & naturale corpus Christi sit, necesse est: quando in Eucharistia præter signum & rem signatam nihil est. Quod quām absurdum & à Christiana libertate alienum sit, docet Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 5. *Ea demum anima miserabilis seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum meneis ad hauriendum lumen eternum leuare non posse.* Et certè, vt tibi de tuo simili aliquid apponam, si cui centum florenos deberes, ille sibi nūquam persuaderi patietur, sigillum, quo debitum illud confirmatur, esse cētum florenos, neque pro centum florenis vñquā accipiet; Ita nemo fanus sibi vñquam persuaderi patietur, panem Cœnæ, qui est sigillum corporis Christi pro nostra salute traditi, esse corpus Christi, substancialiter.

2. Ait Andreas ad suum argumentum responderi per Instantiam.

**Pag. 107.** At mī Andrea, nullā hīc à peritis Dialecticis conspicitur Instantia sed est simplex negatio temerariæ & falsæ tuę affirmationis, eiusque negationis ratio, ad quam tu ne hiscere quidem audes. Nam D. Grynaei hæc sunt verba Apolog. pag. 42. *Sed nimis impudenter hoc à te dicitur Andrea, verba Christi abs te non permutari: nec alia abs te in eorum reponilocom. Quid enim? An non hanc propositionem, Panis Dominicus est corpus Christi, &c. permutas in aliam: In, cum, sub, Pane Dominico est corpus Christi? Quid verò Andreas ad hæc? Etsi autem ipsi etiam Cuculo probè constet, quanti momenti sit per Instantiam data solutio: Tamen responderem illi non grauabimur.* Video te, candide Lector, huius hominis vel ignorantiam vel malitiam deplorare: ignorantiam, quod simplicem negationem cum sua ratione ab Instantia, quam uocitant, discernere non potest; malitiam, quod solidam & legitimam respcionem Instantiam tantum esse dicit: vt videlicet incauto Lectori persuadeat, leuia esse illa, quæ refutare non potest. O varias Sophistarum artes. Et quid respondes Andrea? *Et quidem quantus sit in hoc homine conscientia stimulus elucet.* Responsum expectabam, quo probaretur Andræam rō pñr rō Verborum Cœnæ

Cœnæ insisterem, sed accipio conuicia. Cæterum quomodo probas id quod dicas homo sine omni conscientia & religione? Etsi enim, inquis, hoc agit toris viribus, ut ostendat nos à scripto verborum Cœnerecedere, dum explicationis gratia his particulis, in, cum, vel sub utimur, vietus tamen propria conscientia testimonio, nos pro equipollentibus illas propositiones habere & usurpare, non audet negare, scilicet panis est corpus Christi, in pane, sub pane, cum pane est corpus Christi. Quod si agnoscit, quid toties in sequentibus calumniantur, cui etiam conscientia testimonio superatus, calumnias esse, non disimulet.

Te verò Andrea propriæ conscientiæ scrupulus ita stimulat ac pungit, ut quid loquaris planè attendere non possis, hoc est, tibi ipsi turpissimè contradicas. Modò ais, te scriptum & literam in verbis Cœnæ præcisè retinere; modò verò ais, te explicationis causa vti particulis monosyllabis, In, Sub, Cum: Modo ais te literæ verborum Cœnæ accurate inhædere: modò id negas & ais, te æquipollente propositione eadem verba interpretari. Proch, in quas angustias implicata Vbiuitas suos sectatores coniicit? Porrò quām ridiculè & pueriliter colligis. D. Grynæum, propriæ conscientiæ testimonio adactum, fateri, te verba Cœnæ retinere, hoc argumento?

*Gryneus non audet negare, propriæ conscientiæ testimonio vietus, nos pro æquipollentibus illas propositiones habere, Panis est corpus Christi, & in pane, sub pane, cum pane est corpus Christi.*

*Ergo Gryneus negare non audet, nos verba Cœnæ simpliciter retinere.*

Etsi verò fateinur, ut vos quoque vociferamini, Vbiuitarios Capernaitas duas illas propositiones pro æquipollentibus habere: non tamen inde, quod tu tibi imaginaris, sequetur, vos verba, verba inquam, Institutionis retinere, atque ea, tanquam per se clara & omnibus nota, non explicare. Quandoquidem omnes vident, qui saltem ab Vbiuitate non fascinati aliquid videre possunt, non eadem verba in utraque propositione usurpari. Cæterum hoc vobis probandum iam pridem fuerat, non quidem vos duas illas propositiones pro æquipollentibus habere & agnoscere, sed æquipollentes esse & rectè æquipollentes dici. Nam nemo sanus vñquam credidit inter has duas propositiones *ισοδοκίαν* aliquam esse, Panis est corpus Christi, & In, Sub, cum pane est corpus Christi: non secus ac infans in, sub, cum incubabilius; auena in, sub, cum faccio; ceruisia in, sub, cum cantharo; pecunia.

pecunia in, sub, cum loculo. FATEMUR ergo & bona conscientia factemur, vos, iusto Dei iudicio excæcatos & recta ratione orbatis, duas illas propositiones pro æquipollentibus habere: hoc vero bona conscientia negamus, æquipollentes esse: quando natura Sacramentorum id minimè fert, quando sacra Scriptura nihil tale nos docuit: quando Orthodoxa Ecclesia nihil tale vñquam agnouit: quando analogia fidei omnibus modis repugnat.

3. Andreas absurdum, quod ex sua illa inæquali æquipollentia secuturum esse docuit D. Grynæus, excusare conatur. Scripsérat igitur D. Grynæus Apolog. pag. 42. *Si æquipollentes esse opinaris illas propositiones quas addaxi: quid superest quam ut dicas etiam has æquipollentes esse: Petra erat Christus, & In, cum, sub petra erat Christus. Quid igitur ad hæc Andreas? Respondes, Nihil planè superest, sed plurimum aëst, illud nimurum, quod tunc quidem corpus Christi in rerum natura non esset.* Neque nunc Andrea corpus Christi, si articulis fidei, si sacræ scripturæ, si Orthodoxæ antiquitati fides est habenda, est in hisce terris, sed sursum in cœlis sedens ad dexteram virtutis & maiestatis, nec inde redditurus ante extremum iudicium. Quoties ergo tu ex his verbis, Panis est corpus Christi, colligas, Ergo in, sub, cum pane est corpus Christi: quid nî tibi opponamus illud, Petra erat Christus? cum vtrinque sit prædicatio Sacramentalis & sacramentaliter intelligenda, & cum tam inter petram & Christum fuerit vnio sacramentalis, quam est inter panem & corpus Christi: Nisi tu velis, Petram solam sacramentum fuisse: quod quam absurdum sit, ne mo non intelligit. Cæterum, vt omnes latebræ effugiendi tibi occludantur, si duæ illæ Propositiones, Panis est corpus Christi, & In, sub, cum pane est corpus Christi, sunt æquipollentes, quid reliquum quam ut dicas has quoque æquipollentes esse, Agnus est transitus, est, In, sub, cum agno paschali est transitus in Ægypto factus. Nam agnus tam rei præteritæ fuit Sacramentum, quam panis in cœna Domini. Hic Rhodus Andrea: libet ne πατὴται τὸ μέρα πνεῦμα, extra septa tuorum absurdorum saltare?

4. Opposuit D. Gryæus Andrea pium & sacræ Scripturæ consentaneum, & naturæ Sacramentorum apprimè conueniens Lutheri dictum, in quo vocabulo *signi & significationis*, non minus quam nostri, usurpauit. Quid autem Andreas ad illud: Negare non potest Lutherum eo in loco piè locutum esse, vulnus vero sibi inflatum esse strenuè dissimulat, atque suo more risu Sardonio extenuat: tandem vero, cum sentiat se planè cōstrictum teneri, ac ad

rem nihil respondere posse, opponit aliud dictum Lutheri superiori planè contrarium, atque nos ei subscribere iubet. Nam in dicto quod Grynæus pro se citauit, ait Lutherus, *sacramenti significacionem*, quæ relatiue signo opponitur, & alio nomine res signata dicitur, *oportere internam & spiritualem esse, in spiritu hominis*. In eō verò, cui nobis subscribendum censet Andreas, ait *carnem & sanguinem Christi*, hoc est, significationem Sacramenti seu rem signatam, *in pane & in vino dati*. Ignoscat ergo nobis Andreas, si Lutheri contradictiones probare non possumus: ignoscat nobis, si cum Lutherō rem sacramenti spiritualem, internam, & in Spiritu hominis esse credimus: ignoscat denique nobis, si ab eodem Lutherō corpus & sanguinem Christi in panem & vinum tanquam scultatum in balneum, autenam in saccum, loculum in pecuniam, ceruism in cantharum, infantem in cunas includenti dissentimus. Agnoscimus quidem in Lutherō Dei dona: Lutherum tamen nō omni vitio, ut pote qui homo fuerit, caruisse scimus.

5. Tandem Andreas D. Grynæi argumentum, quod pag. 42. Apolog. ei opposuit his verbis: *Panem autem illum esse Christi corpus, secundum esse sacramentale, aut essentialie, necesse habes ut fatearis. Si secundum esse sacramentale, panis est corpus Christi: cur nobiscum pugnat? Si secundum esse essentialie, quare non Pontificij Transubstantiationem statuerintibus, te adiungis? extenuare conatur. Ac primò quidem, ne sibi dissimilis esse videatur, in re seria risu Sardonio exultat, & scurriliter in hæc verba erumpit: Argumentum eruditum & bifurcatum, utroq; cornu feriens. Quid verò dicemus, aut unde exordiemur? Ne Hercules quidem aduersus duos. Hæc est prima argumenti oppositi solutio, nec erudita nec sene Theologo digna. Audiamus alteram, non illam quidem theologicam, sed Thrasonicam. *Quid si, inquit, suo ingulemus eum gladio? Age itaq; à Cucule, tibi oppono panopliam illam tuam, & planè idem arguento repetēdo, Minorē ita probo.* Arbitrabar te argumentum nostrum repetitum: sed repente è vestigio, sententia mutata, minoris probationem affers: adeò ne vno quidem momento tibi ipsi constas. Sed proba minorem. *Non essentialiter vobis panis est corpus Christi, ne sitis Pontificij.* At Lutherus censuit, Panem esse ipsum naturale corpus Christi, ut probè meministi: nec tamen Pontificius, si Deo placet, fuit. *Quid verò amplius? Nec sacramentaliter est, quia ubi verbum accedit ad elementum, & fit sacramentum: Vos autem ubi fides accedit ad elementum, fit sacramentum dicitis.* Iam rursus nostra nos expectatio vel potius tua promissio fecellit. Expectabamus, tux promissioni Fidem ha-*

bentes, minoris probationem, sed accipimus calumniam sene  
Theologo indignam. Quis enim, rogo te Andrea, ex nostris vn-  
quam scriptis, dixit aut sensit fidem, non verò verbum Sacramen-  
tum facere? Profer si potes locum, profer apicem ex nostrorum  
scriptis, & te calumniatorem non esse probabis. Cæterū An-  
dreas non testimonia ex nostris scriptis profert, sed ratione nos  
criminis modò conficti conuincere conatur. Nam, inquit, *sine fide  
accidentes, præter Panem et Vinū, nihil accipiunt, si vobis credamus.* Pulchrè,  
facete, festiuè, sed parùm logicè: nos nostro gladio iugulâsti scili-  
cet, si populus vult. Quis enim te ita colligentem feret?

*Aduersarij Iacobi Andree, quos ille Calvinistas vocitat, docent sine  
fide ad Cœnam Dominicam accidentes, nisi nihil Panem ac Vinum  
accipere.*

*Ergo docent fidem sacramentum facere.*

Disce ergo vel tandem inter causam efficientem, qua res  
constituitur, & inter causam instrumentalem, qua res percipitur,  
distinguere: disce etiā (nam à *Lipáži* non semper est dedecori)  
aliud esse rem constituere & efficere, aliud verò rem constitutam  
& effectam percipere. Fides, Andrea, non facit Sacramentum,  
sed fides percipit rem Sacramenti. Nunc ergo quid reliquum  
est, quām vt Logicam Vulcanianam secuti, in hunc modum col-  
ligamus: Sola fides apprehendit iustitiam Christi, & sine fide  
nemo eam percipit: Ergo fides est causa, qua iustitia Christi ef-  
ficitur. Vel etiam sic: Colores non nisi visu percipiuntur. Ergo  
visus est causa efficiens colorum. En Andreanam Logicam tām  
Theologiam, quām Philosophiam fœdè conspurcantem.

Neverò Andrea, nos ingratos arbitreris, en pro tua calu-  
mia hanc piam admonitionem reddimus, quam si recte cum a-  
nimo tuo volueris, consubstantiationem tuam, licet tibi quā-  
stuosam, Ecclesiæ verò Dei detrimentosam, proculdubio abiici-  
es. Augustinus ait, & verè ait, *Accedit verbum ad elementum & fit  
Sacramentum, ipsum visibile verbum.* Te verò Andrea, cum tuis com-  
plicibus ab hac pia sententia Transubstantiatio longissimè ab-  
duxit: quandoquidem ea tibi hæc suggestit impiè admodum &  
monstrosè: *Accedat corpus Christi in, sub, elementum, tanquam aqua in  
faccum, & vinum in cantharum, & Thaleri Saxonici in Sueicum Iacobi An-  
drea loculum, & fit Sacramentum, ipsum videlicet idolum Papisti-  
cum.*

cum. Quomodo ergo Andrea (nam reddendum tibi tuum suauem corollarium) Panis est corpus Christi?

## *De verbis Apostoli 1. Cor. 10.*

**I**N hoc quoque capite mirum in modum seſe torquet Andreas, sed torquendo ſeſe magis magisque inuoluit & conſtringit. Ac primò quidem repetit rationes quibus probaffe ſe opinatur, nos verba Apostoli pro fundamento non habere, ſe verò cum ſuis i-pfis omnino niti. Deinde verò D. Grynæum argumentum ſuum non rectè aſumſiſe vociferatur: nec verò ſuę cauſe tantum conſidit, vt ipſe auſit argumentum ſuum ſyllogiſticè informare. Scilicet  $\sigma\alpha\phi\delta\pi\vartheta\varphi\alpha\mu\alpha\nu$  eſt, ſi monſtroſa opinio in ſyllogiſmo tanquam in ſpeculo inſpicienda proponatur, eam pro ſua non agnoſcere: & vt eius deformitas tegatur, ſyllogiſmuſ formare non audere. Sed quām bellē Præceptor diſcipuloruſ ſuoruſ voceſ & diſputandi rationeſ ſubſequitur: qui cum in diſputatione Heidelbergenſi ſua ſophiſmata ſyllogiſticè formare vel nolleſt, vel non auiderent, vel non poſſent: non tamen ferebant aliu- ea formantem. O ἀμυσολογία & barbariem Vbiqutatis. Ter- tio Andreas accedit ad deſenſionem triuim ſuaruim rationuim, quibus probare voluit, nos verba Apostoli pro fundamento non habere, ſe autem ijs tanquam baſi inniti, & quas D. Grynæus ſolidè refutauit.

i. De prima ratione, quam duxit à differentia vocabuli, Eſt & ſignificat, ſic ſcribit Andreas pag. 109. Ad primum reſpondet: (puta D. Grynæus) Repetit D. Iacobus cocyſnum de verbis, Eſt & ſignifi- cat, eorumqüe differentia, & addit: (intellige D. Grynæus) Dicat autem nobis, nihil ne interſit inter haſ propoſitiones: Ieſus eſt Filiuſ Dauid; & Ie- ſus eſt agnus Dei, vitiſ, petra &c. Si, inquam, verbi Subſtantiuim & uſum ſpēctes. Hæc D. Grynæus: ſed quid tu Andreia reſpondeſ? nem- pe hoc: Reſpondeo: nihil planè, ſed inter haſ voceſ, filius & agnus, ſine vi- tiſ aut petra plurimum iñtereſt. In hiſ enim predi- catio eſt figurata, in illa autem neque propria, nec figurata, ſed inuifitata & ſacramentalis. Ergo Andreia Ieſus eodem modo eſt Filiuſ Dauid, quo eſt agnus, vitiſ & petra: ſi verbi Subſtantiuim in utraque propoſitione ea- dem eſt viſ & uſus. O monſtra, ô portenta Vbiqutaria? Tu ve- rò pie & eruditę Lector, proculdubio intelligis verbum ſub-

stantium, Est, in ijs enunciationibus; quæ differunt ab ijs in quibus, Est, prædicati locum obtinet, & significat sui subiecti vel es-  
tentiam vel tempus, proprium & natuum usum esse, ut *etiam id* est, ipsum essendi modum consignificet, seu, ut eum modum præ-  
dicationis declareret, quem coniunctorum terminorum *mutua*, ad veram affirmationem vel negationem constituendā requirit.  
Ac propterea pro ratione modi essendi aut *mutua* duorum terminorum coniunctorum mutuae aliam atque aliam vim & potestatem habere. Deinde verò Andrea obscurè valde, ambiguè & tibi ipsi contrariè loqueris, quod Sophistarum proprium esse nemo ignorat. Nam quod ait, *In his*, (videlicet Iesus est agnus, est vitis, est petra) *prædicatio est figurata*: etiam atque etiam vide, quomodo illam enunciationem, Petra erat Christus, quæ certè sacramentalis est, inter figuratas prædicationes referendo, tibi ipsi non contradicas: cum aliás prædicationes Sacramentales è numero figuratarū eximas, & inter inusitatas, quas singulis, numeres. Item cum ait, *in illa autem* (videlicet Iesus est filius Dauid) *neq; propria, nec figurata, sed inusitata & sacramentalis est*: si à negotiis Bibenhusianis tibi vacare licebit, sedulò perpendas moneo, quam periculosè loquaris. Quis enim Orthodoxus unquam sensit, aut somniauit, Dominum Iesum filium Dauidis dici inusitate & sacramentaliter? Nemo certè unquam fuit, aut erit. O cœcam Vbiuitatem, et omnes eos cœcos efficientem, quos complectitur.

2. Andreas affirmat, *D. Grynæum ad secundum suum argumentum tacere*. Sed videat homo astutus alioquin, ne sibi ipsi desit. Secundū argumentum, quo probauit nos verba Pauli pro fundamento nō habere, hoc fuit: *Quod à scripto verborum cœna confugiamus ad interpretationem seu sententiam*. Ad hoc argumentum respondit D. Grynæus his verbis, quæ Andreas astutè sibi prætereunda censuit: *Quid viris prudentibus in mentem venire censes, pia iuuentus, quum audiunt hunc hominem, de verbis litigare, non de eorum sententia, more Magorum: & scriptum comminisci, de cuius sententia non sit laborandum: An non verba rerum notae sunt, & sententia documenta? Sed condonemus hanc barbariem hostibus rationis humanae*. Vides ergo Andræa, D. Grynæum ad secundum tuū argumentum quod tu falsò & astutè affirmas, non tacere: Omnes verò sani vident, te ad D. Grynæi responsum tacere & obmutescere penitus.

3. Tertium argumentum sic defendit Andreas: *Ad tertium verò re-*

re responder, ex hypothesi illud datum, quod scilicet scriptum verborum Cœnæ retineamus. Sed quid tu ad hæc Andrea: *Sed videantur, ait, verbæ eius in proœmio Disputationis, A. 2. fac. 2.* & deprehendetur Cuculi vanitas, immo inter principia nostra confirmantia ipsam retulit. Inspiciantur non solum Grynaei verba, sed attendatur etiam eius mens, consilium, & verborum suorum interpretatio: & vanitas Cuculi Vbiquitarij oculis aspici poterit. Et certè Andrea, quem putas adeò insani re, ut tibi det, te scriptum verborum Cœnæ retinere? cum tu ipse negare non audeas te ipsis multa addere. O stolidum & impudentem Cuculum Vbiquitarium.

4. Andreas negare non audet amplius, se verbis Cœnæ multa addere: adque idcirco nunc se victimum agnoscit, & falsò haec tenus de scripto verborum Cœnæ se gloriatum esse miseriam intelligit. Quid ergo agit? His verbis muscitat. *Quod autem ait Grynaeus nos verbis Cœnæ addere quædam, quando dicamus, In pane esse corpus, & naturale Christi corpus (quasi assumserit Christus aliud, quam naturale) oraliter & sensualiter, comedì & dentibus atteri.* Quid verò respondes? *Respondeo: Calumnias illas non agnoscimus.* Non sunt istæ calumniæ, sed verbæ vestra, quæ proculdubio, si vobis sana mens est, agnoscitis. Cæterum proba calumniias esse? *Partim, ait, quod Cucus supra fassus est, nos has propositiones tanquam æquipollentes indifferenter usurpare.* At mihi Andrea, nō queritur hoc loco, anne vos istas propositiones pro æquipollentibus habeatis? sed hoc queritur, anne nos præcisè, vt vulgo iactitare soletis, scriptum verborum Cœnæ retineatis? Quod hoc loco tu ipse negas, cum fatearis te verba illa per æquipollentem propositionem explicare. Cæterum & hoc tibi insolenter sumis, quod videlicet D. Grynaeus fassus sit, te has propositiones tanquam æquipollentes usurpare, cum tamen ille conditionaliter tantum locutus sit ad hunc modum. *Si æquipollentes esse opinaris illas propositiones, quas adduxi: quid superest, nisi ut dicas has quoq; æquipollentes esse propositiones, Petrus erat Christus, & In Sub, cum Petrus erat Christus?* Dicere Andrea, licet iam tua eruditione ad columnas Herculis peruenisse videaris, aliud esse ἵποδεῖκναι aliud ἀπλᾶς simpliciter loqui: & conditionem, quod etiam pueri nostri sciunt, nihil ponere inesse. Sed quid ista apud te? qui omnis eruditionis perduellis es. Perge igitur calumnias probare: *Partim verò, ait, quod non eo sensu, quo ille accipit, à nobis dicuntur.* Vide Andrea quam constricatus & irretitus vndiq; tenearis, & quam astutè quæstionis nostræ cardinem declinare & obscurare studeas. Non queritur, o homo,

quo sensu illa à vobis verbis Cœnæ addantur? sed annè aliquid addat's? q̄ cum tu fateris hoc lóco vos facere: quo sensu vel potius qua fronte & conscientia in Confutat. pag. 37. scripsisti: *Contrà hec ipsa verba Testamenti Christi & Apostoli Pauli manifesta et apertissima fundamenta sunt nostræ doctrinae & assertionis, quibus nihil addimus, nihil detrahimus, sed scriptum seu rō pñlōv retinemus & vrgemus.* Nunc cogita Andrea, annè sis ex eorum numero, de quibus dicitur: Modò aiunt, modò negant.

### *Quid Cuculi reuera de verbis Institutionis sentiant.*

Væ Cucus Vbiquitarius in hoc capite recoquit, ea millies centies à nostris confutata sunt, & in ijs ostensa Vbiquitario- rum fraus & calumnia, qua simpliciter dicta esse, quæ non nisi se- cundum quid dicta sunt, comminiscitur: adeò sincerè & candidè nobiscum agunt Cuculi Vbiquitarij. Nam cum in disputatione de Eucharistia Vbiquitarij ad suam Consubstantiationem, Trans- substantiationis videlicet sobolem confirmandam, seu ad inclu- sionem corporis in panem stabiliendam verbis Cœnæ abutantur; rectè nostri opposuerunt & adhuc opponunt, ex verbis Institutionis aduersarios nihil probare posse, nec pro argumento assu- mere debere: quippe cum queratur, annè sensus sit verborum Christi verus & genuinus, quem Vbiquitarij nudius tertius ex- cogitârunt. Etenim in verbis Christi hoc planè modo ludūt: Christus de pane dixit, Hoc est corpus meum: Ergo in & sub pane est corpus Christi. Iam si queratur ratio eius interpretationis, respō- dent periti illi Logici: *Quia Christi verba, quibus dixit, Hoc est corpus meum, sunt vera. Quis verò rerū tam rudis & ignarus est, vt non intelligat, hoc modo ex verbis Christi aduersarios nostros nihil probare?* Christi verba, fatemur vlrō, sunt verissima: de V- biquitiorum verò glossemate dubitatur, quod ex verbis Christi nequaquam constanter deducitur.

Deinde vrd. cum Aduersarij more Magorum de verbis Cœnæ litigent; vt olim Iudæi, vt est apud Hieremiam Prophetam, vociferebantur templum Iehouæ, templum Iehouæ, templum Iehouæ, vsum autem & finem, cui templum seruire debebat, planè negligebant: ita illi verba Christi perpetuo in ore habent, de sen- tentia autem & vsl eorum ne tantillū quidem solliciti sint: no- stri rectè pieq; monuerunt, non tam verba, quām eorum senten- tiā

tiam inspici & considerari debere. Verba siquidem sine vera sua et genuina sententia, nihil utilitatis afferunt: sed litera mortua sunt. Deniq; cum ipsi Aduersarij à verbis, quam longissimè resiliant, & eiusmodi explicationibus vtantur, quibus satis declarant, sensum potius quam literam spectandam esse: nostri proprio ipsorum testimonio ostenderunt, ipsos in eo deprehendi, in quo alios reprehendunt: Id quod à nobis in Elencho luculenter demonstratum est. Quare desinant tādem nostra dicta & scripta suis paralogismis calumniari, cum videant suas fraudes iam diu omnium bonorum conscientijs constrictas teneri.

## *De omnipotentia, veritate, omnipræsentia Et adoratione Christi.*

### *Caput 11.*

 RINCIPIO repetit Andreas suos coccyxmos, quibus Pag. 112. nos omnipotentiam Christi negare calumniatus est, sunt autē coccyxi duo potissimum: 1. quia Petrus Martyr scriperit: Nulla vi diuina fieri posse, vt verum & naturale corpus simul & semel sit in pluribus locis. 2. quia à nostris affirmetur, Christum non pl. ra promisisse, quām præstare potuerit. Hi sunt coccyxi Andreani: nunc paucis videamus, quomodo D. Grynæus responſa eludat, & calumniosos suos coccyxmos tucatur. Quid ergo respondes Andrea? Nam te coccyxantem audire cupimus.

Iam respondet Cuculus, primò per connitit. Hoc loco, ait, argumentatur D. Iacobus Andrea contra præceptum Dei, non dices falsum testimonium. Hoc vero te facere tua procul dubio conscientia tibi dictitat, & nos paulò post idem luculenter probabimus. Sed quomodo te falsi testimonij crimine liberas? Respondeo. Quomodo falsum, cum negare non ait ea? nam quod mitigare conaris Cucule, tamen vel inuitus Martyris verba agnoscere cogeris, tu itaq; falsum dixisti contra præceptorem tuum Testimonium. Hæc tu: quibus & ego respondeo. Quomodo Grynæus non negauit nos de omnipotentia Dei dubitare, cum te nobis illam labem affricando falsum testimonium dicere affimarit? At vero, inquis, vel inuitus Martyris verba agnoscere cogitur. Imò Andrea nullavi coactus, sed lubens verba Martyris agnoscit: Tuam vero calumniosam collectionem, quam ex Martyris sententia deducere te posse falso tibi persuasiſti, nec approbat nec agnoscit, idque meritò & iure optimo facit. Nam quæ est ratio tuæ consecutionis? *Martyr*, ait, nulla vi fieri posse, vt vnum & idem numero

**Corpus simul sit in pluribus. Ergo Martyr negat Deum esse omnipotentem.**

Procederet quidem & aliquam veri speciem haberet tua ista collectio; si Martyr affirmasset id fieri non posse defectu & vitio potentiae diuinæ, ac non potius ipsarum rerum contradictione. Illud vero Martyle nullo modo statuisse hæc argumento sunt. 1. Quod eodem loco, ex quo Andreas fallacia diuisionis vñus, suam calumniam compilauit, in hunc modum scribit: *Quedam esse affirmo, quæ suo defectu seu vitio nullo modo fieri possunt, incolumi & salua nihil minus diuina potestate.* Nam *que facta sunt, nulla potentia reddiri possunt infesta.* 2. Quod Martyr pia suæ & Orthodoxæ sententiæ perpetuum Orthodoxorum Patrum Consensum quasi quandam basin substrauit: id vero dum astutè dissimulat ANDREAS quis non videt eum suis insulis coccylis Orthodoxyam Ecclesiam conspuere? Quomodo autem, rogo omnes sinceros & candidos Homines, hæc Martyris sententia non bis per omnia cum hisce Orthodoxorum Patrum dictis verè aureis & ex aureo verbi Dei fonte haustis, consentit? *Cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam,* inquit Orthodoxus Hieronymus 1. Tom. ad Eust. de custodia virg. *Potestas Dei non minuitur, cum dicitur mori falli, non posse,* inquit Orthodoxus Augustinus de Ciuit. lib. 5. cap. 10. Propterea quædam non potest, quia omnipotens est, inquit Orthodoxus Augustinus eodem loco. *Omnipotentem Deum non ita dicimus, ac si eum etiam mori credamus: & quia hoc non potest, ideo non sit dicendus omnipotens,* inquit Orthodoxus Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 5. *Multa etiam alia reperiiri possunt, quæ non minus sunt impossibilia.* Nec enim eternum erit in tempore, nec increatum creatum atque factum, nec infinitum finitum, & quæ sunt eiusdem generis, inquit Orthodoxus Theodoretus Dialog. 3. *Multa igitur inuenimus impossibilia esse omnipotenti Deo.* Sed horum nihil posse non infirmitatis, sed immense potentie certissimum signum est. Posse autem impotentia, non potentie indicium est, inquit Orthodoxus Theodoretus eodem in loco.

Vides ergo pie Lector, clarissimum illum Martyle cum orthodoxis patribus omnipotentiam præclarè assuerasse, negando eum implicare contradictionia.

3. Huc accedit, quod idem non solum in suo Orotete, qui Vbi quitarij vnguis in vlcere est, sed etiam alijs in locis hanc suā piam sententiam repetit & explicauit; adeò vt nemo nisi qui calumniandi libidine inflaniat, eum criminari possit. Et huc facit locus à D. Grynæo calumniæ Iacobandricæ oppositus à Iacobo vero astutè

astutè tanquam acutus scopulus præteritus, in quo hæc apertè scribit. *Nam Deus est omnipotens, quamvis non possit vel peccare vel seipsum negare: aut efficere quæ preterierint, vt non sint præterita, nec efficere, vt corpus humanum, dum est, non sit humanum corpus, vt q̄ ternarius numerus non sit ternarius: quoniam hec impossibilia sunt non eius defectu, sed ex ipsa rerum contradictione.* Hic Andrea intende omnes ingenij tui Vbiquitarij Vbiquitarias vires, & ostende, si potis es, Martyrem de omnipotentia Dei non piè sentire. En Rhodus. Item contra Gardinerum ad hunc modum de hac ipsa quæstione scribit: *Potentiam Dei iactant immensam: quasi nos eam velimus imminutam, licet dicamus illam ad ea, que (vt vulgo dicitur) contradictionem implicant, non extendendam.* Hæc, pie Lector, ideo tam copiosè exposui, vt isti sycophantæ vel tandem cineres magni illius viri, quem meritò Præceptoris loco habere deberent, calumniari cesserent. Ut verò Iacobus Andreas rursus habeat in quo se exerceat, & in quo vires ingenij ostentet, proponimus ei hoc absurdum excusandum, quod ex eius doctrina necessariò consequitur:

*Quicunq; docet Deum ea facere, que implicant contradictionem, hoc est facere, vt vnum & idem numero corpus simul sit in multis etiam longissimo interuallo sciunctis locis: vt vnum & idem corpus simul sit finitum & infinitum, visibili & inuisibile, palpabile & impalpabile, locale & illocalе: is proculdubio negat Deum esse omnipotentem. Ratio est: quia illa facere, non est, vt vno ore & corde fatentur Orthodoxi Patres, potentiae, sed impotentiae.*

*Atqui illa omnia Deum facere docet impiè Iacobus Andreas: vt eius libri Vbiquitarij testantur.*

*Ergo Andreas Iacobus Deum omnipotentem esse, vel horrenda ignorantia inductus, vel intolerabili impietate adductus, negat.*

Nunc igitur Andrea, cum intelligas, te tua calumniosa sophistica potentiam Dei, quantum in te est, eneruare, perge coccyfimos euomens. *Deinde, aut Grynans, sicut Pauli dictum, Deus mentiri nescius est, & similia non derogant omnipotentia Dei, ita nec illa piorum hominum dicta, de corporatis creaturis, que initio spacioq; circumscripta sunt, si creationis ordinem species, derogant aliquid. Vult enim Deus tales esse creaturas illas, itaq; potentia sua non efficit, vt aliae sint quam ei visum est eas creare.* Hæc quidē, vt tu quoq; sine dubio intelligis, si modo aliquid intelligis, vere & orthodoxe à D. Grynæo tuæ calumniae opposita sunt: sed quid tu contrà gannis? *Quis dixit, o Cucule, Deum corpus Christi aliud quid*

*dam efficere sua potentia, quam initio creatum sit? si tu quo tales nobis, eos vero impugnes, nemo prohibet. Tu verò fugitiue Cucule, nobis hoc loco retrahendus & impugnandus es, siue id faciendi nobis copiam facias, siue prohibeas. An non, dic nobis aliud, est corpus, quale filius Dei assumptus in utero virginis? & aliud corpus infinitum, quale vos fingitis? An non aliud est corpus visibile, quale filius Dei assumptus: & aliud corpus inuisibile, quale Ubiquitas nobis fabricauit? An non aliud corpus locale, quale filius Dei assumptus: & aliud corpus illocalle, quale Capernaïtica laniana vobis dictauit? An non aliud corpus palpabile carne & ossibus constans: aliud corpus impalpabile per lapides & ferrum penetrans sicut clangor, quale Martio rediuitus excogitauit?*

Hæc cum tibi obiectum iri præuidisti: astutè tuam doctrinam dissimulare voluisti. Quare cum tutæ artes nobis pateant, fate te docere Christum potentiam diuina aliud nunc habere corpus, aliud in utero virginis assumisse: aut tuam Ubiquitariam Chimaoram abijce.

Nunc si placet, continua cœcysmos. *Nos corpus Christi creaturam in initio spacio, circumscriptam, qualem creare Deo aut Christo assumere visum est, credimus, nec ipsam aliud ratione substantia effectum, sed proprietatibus supernaturalibus, unionis personalis beneficio, per communicationem ex ornatum, credimus atque docemus. Miseret me tui Andrea, & ex animo miseret, qui tam paucis verbis & tibi ipso & veritati contradicis. Si corpus Christi ratione substantiae non est aliud effectum, hoc est manifestum, ut reuera mansit, finitum & loco circumscriptum: quomodo quoquo aut qua religione cum tuo Ubiquitatis grege affirmare non erubescis, ipsam ipsam inquam substantiam corporis Christi substantialiter, realiter, corporaliter non solum in pane Cœnae Domini, sed in omnibus locis obscenis, in Iudea laqueo, in graminibus & arborum folijs, in cantharis ceruisiarijs & viniarijs, in inferno & cœlo, in angelis & diabolis esse? O misera Ubiquitatis & implicita vndeque mancipia. Deinde quis te Orthodoxus inquam docuit, substantiam finitam, qualem te corpus Christi credere dicis, realiter in se recipere infinitas proprietates essentiales, hoc est substantiam manere finitam, & tam realiter in se habere proprietates substantię infinitę essentiales. O portenta Ubiquitatis, o rerum & verborum monstrum. Denique quis Orthodoxus te more Nestorianorum unionem personalem cum idiomaticum communicatione confundentem feret? Nemo plane, mihi crede Andrea.*

Sed

Sed procedamus vltterius: quid ergo amplius habes? *Quod si de proprietatibus illis tu loqueris, quare sumis de quo controuerchia, id enim queritur, quod tu tanquam confessum accipis.* Heus verò optime logice: cur te non pudet tam manifestè in eo delinquere, in quo alios tam audacter tibi reprehendendos sumis. Tu, tu inquam, pro confessore imperitè arripis, quod nemo sanus tibi haec tenus dedit: id quod paucis ita planum faciam, ut oculis quoq; dijudicari possit. Ais, Corpus Christi ideo ubiq; esse; quia essentiales Dei proprietates realiter acceperit: hoc verò postremum nemo nemo vñquam largitus est, quem Vbiuitas non fascinavit. Item, Ais corpus Christi finitum manere: & tamen proprietates Deitatis, quæ infinitæ sunt, realiter communicatas habere: quod nemo nemo vñquam crederet, nisi quem Vbiuitas sensu communi orbauit.

Sed quid præterea affers? *Et quid dicitis Cucule?* Ferrum à Deo creatum est, ut sit graue, & in aqua mergatur: ignis ut sit calidus, vrat & consumat. Si itaque regula illa tua aurea locum habet, Deus potentia sua non efficit, ut haec creature aliae sint, quam initio ei visum est eas creare, quomodo verum fuerit, ferrum natasse & ignem non potuisse Danielis socios adurere? Sed quò tu aufugis fugitime Cucule? aut quid te ista miracula, quæ verè accidisse credimus, iuuant? aut quomodo tuam contradictionem disoluunt teq; expediunt? Ferrum quandoquidem diuina potentia, citra sui perniciem & interitum & sine contradictionis implicatione nunc sursum, nunc deorsum trahi potest. Ignis sine interitu & absq; contradictione à Deo cohiberi potest ad tēpus, ne vrat. Hoc verò dic nobis, si ad rem respondere volueris, si contradictionem tollere tibi cordi fuerit, vtrum ferrum eodem tempore natarit & non natarit? ignis eodem momento viscerit & consumserit, & non viscerit non consumserit? Hic Rhodus hic saltus Andrea. Si dixeris illa duo contraria simul realiter fuisse: helleboro tibi opus esse omnes sani iudicabunt. Sin verò simul fuisse negaueris quid quælo ista faciunt ad tuum figmentum? quo corpus Christi simul finitum & infinitum, visibile & inuisibile, circumscriptum & incircumscriptum fingis. En Rhodus, en saltus. Ergo ferrum verè natauit, & ignis Danielis socios verè non adussit sine omni contradictione & absq; subiecti destructione. Habes ergo responsum ad primum tuum coccysmum.

2. Alter verò sic habet. *Iudem scripserunt Christum non plura promisisse, quam potuerit prestare. Non posse antem prestare, ut Corpus suum simul sit in Cœlo & in Terra præsens, quia implicet contradictionem.* Confusat. Pag. 38.

*Quapropter Christum realem sui corporis in pane presentiam nequaquam promisisti.* Ad hunc coccysnum respondit D. Grynæus Apolog. pag. 47. his verbis: *Non de facultate queritur, sed de voluntate.* Quare si tu Andrea probaueris, promisisti Christum: realem corporis sui in pane presentiam (ad Gratas autem Calendas, & Vbiuitatem tuam, & hoc commentum probabis) tum de praestandi facultatilitem tibi nullam faciemus. Quid vero ad haec Cucus Tubingensis? Nempe calumniam suam agnoscit, & hec animo fracto missitat. Respondeo id tu dicas, sed quare non ad rem & argumentum respondes? Nam ex loco faciutatis contra Testatoris voluntatem ille argumentatus est, Christum ideo non promisisti corporis & sanguinis sui presentiam, quia non plus velit, quam præstare posse: itaque de facultate est questio. Et sic omnipotentia Christi vocatur a vobis in dubium, id quod ostendendum nobis erat. Si calumniari, si benedicta peruertere, si calumna terræ misere re est ostendere, nos omnipotentiam Christi in dubium vocare: manus damus & vobis palmam tribuimus. Sed Iacobe Andrea, cur tu maluisti principium petere, & falso tuo fundamento niti quam ad rem respondere? Proba igitur nobis, proba inquam, verborum Christi, Panis est corpus meum, hanc esse sententiam, volo ut corpus meum huic pani includatur, & in eo sensualiter dentibus atteratur, & habebitis nos tibi assentientes. En Andrea palma est in medio posita. Proba Christum velle, & nos vltro dabimus, Christum sine negotio posse. An non autem mirabilis est tua consecutio? *Christus, aiunt Aduersarij Andreae, non plus vult, quam præstare potest: Ergo negant Christum esse omnipotentiam.* Quid ergo restat, quam ut dicas Christum plus velle quam præstare possit. Ah miserum & cæcum Vbiuitatis mancipium.

### *De veritate Christi.*

**V**eritatem Christi nos negare tali sophisitate calumniatus est Andreas.

*Quicunqz, negat Christum omnipotentem esse, negat & veracem esse.*

*At pars altera negat omnipotentem esse Christum.*

*Negat igitur & veracem esse.*

Respondit D. Grynæus. Nos vero, Iacobe Andrea, letamur, quod Iesum Christum cordium scrutatorem habemus, eiusqz spiritusunctione edocti creditus, ipsum esse etiam veritatem & sapientiam, Dominum, inquam, nostrum Iesum Christum. Et quia non dubitamus appellare tuam conscientiam testem diabolici tui mendacij, quod in Minori inculcas Anselmi dictu commemorabili tibi

**Bibi respondemus:** Qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, uterque reus est: ille, quia prodebet non vult; iste, quia nocere desiderat. An non horrenda tua audacia est, quod tibi vni & eidem, & veram sententiam nostris derogare: & falsissimam affingere, non est religio? Sed bene habet, quod licet homicidarum, qui nulla humana iudicia verentur, præsumida animatus audacia, mendacijs aspergis & Martyrem & alios: tamen vicinus es tribunali Dei iusti iudicis. Paulò post peccatum tuum expurgiscetur. Interea coram tota Ecclesia abominandus es, quod tua fibypsis mendacia mentiuntur (vt loquitur Chrysostomus, & faciunt, vt nemo qui te nouit, fidem habeat.

Quid vero ad hæc Holderianus Andreas: Bisariam respondet, i. inficiando. 2. conuiciando. Et paulo post subiicit: *Solutiones doctæ, eruditæ, placidæ, modestæ, & spiritus mansuetudinis plenissimæ.* Tertiò addit: *Ad prius,* quod Omnipotentiam Christo vos derogare negatis, respondemus: *Et verba vestra expressa, & res ipsa loquuntur, ideoq; repetimus Augustini illud: Conati sunt quidam, ait ille, persuadere Deum non esse omnipotentem, non quia hoc dicere ausi sint, sed in suis traditionibus hoc sentire & credere conuincuntur.* Obtestamur vero omnes, qui sine affectu & præiudicio iudicare possunt, vt nostra verba, quæ antea ex Martyre attulimus, diligenter examinent, ac non dubitamus, quin te calumniatorem esse sint animaduersuri. Quæ enim tuæ consecutionis, Martyr negat Deum posse implicare contradictionem? Ergo Martyr negat Deum esse omnipotentem, necessitas, quæ ratio? Interea nos vindictam Deo iusto iudici commendamus, qui breui, noli dubitare, faciet. Augustini testimonium non nos sed te petit Andrea, qui Deo contradictoria attribuendo eum impotentem esse arguis: quandoquidem verum est illud Augustini: *Propterea quadam nō potest, quia omnipotens est.* Item. *Ista propterea fieri non possunt, quia seipsa destruunt, & contradictionem implicant.* De Ciuit. Dei. I. 5. cap. 10.

Nunc perge Andrea: *Ad posterius autem, hoc est, ad conuicia illa atro-* Pag. 114.  
*cissima, istud Hieronymi respondeo.* Sed dicta Hieronymi & Augustini, quæ tibi Holderius amanuensis tuus ex eorum indicibus conquisiuit, mutato nomine de te rectissime narratur. Interea noli conuicia appellare, si quis te, in medacio aperto deprehensum mendacem nominet: ac vel ex ipso Demosthene quid sit conuicium disce, & D. Grynæum conuicijs te non incessuisse intelliges: Τὸ  
<sup>ἐπιογνον</sup> inquit ille, ὃ ἀπιστον καλεῖν, ἀνετὰ πεπεραγμένα δεκτῆναι, λοιδοσία εἰσι. Quæ in tui gratiam sic reddo: *Periurum & perfidum aliquem nominare, si facinora eius non offendas, conuicium est.* Cum vero toti mundo iam constet, te nobis falsum crimen attribuere, quod nec pro-

bes nec probare possis, quis te & mendacem & conuiciatorem esse non videt? Ergo, vt concludam, verax est Deus: Iacobus verò Andreas mendax & conuiciator.

## *De omniprésentia Christi.*

**H**ic verò sese timidum præbet Andreas: ac suæ Vbiquitatis, quæ certè ipsum locupletauit & famosum reddidit, patrocinium & si non planè deserit, tamen frigidè admodū & timide tractat, atq; pleraque obiecta siccō pede transit: adeò astutè sibi cauere potest Andreas. Ac primò quidem cōqueritur D. Grynæum argumentum suum Vbiquitariū non bona fide assūmisſe, ac propterea ad argumentū non respondisse: interim omnia dissimulat, quæ de re dicta sunt, & ita totus trémit horretq; vt ipse argumentum suum assūmere, & formare nec ausit nec possit. O milerū miséræ Vbiquitatis patronum. Deinde margines responsi D. Grynæi arrodit, rem verò ipsam tam attingere non audet, quām ferrum ingitū nudis manibus tractare, vt pius Lector è collatione vtriusq; Icripti facile intelliget. Porrò Augustini testimoniū, quo Vbiquitatem funditus tolli animaduertit, in Tortodoxi cōsensus confutatione explicatum esse mussitat, quò nos remittere non dubitet: adeò sibi cauere potest Andreas. Tandem sese recolligēs fatetur, D. Grynæum argumentum suum rectè formâſſe, atq; ad id sibi responderi cupit: adeò omnia ferre paratus est Andreas, modò vt ex hac pugna pedem efferre et saluus euadere possit. Vt verò huic afflictō afflicte Vbiquitatis patrono gratificemur, non grauabimur argumentum repetere, atque modestè, ne planè cōcidat Vbiquitarius, respondere. Argumentum Iacobandricum.

*Qui Christum omnipræsentem fatetur, is carnem eius omnipræsentem effe, negare non potest.*

*Atqui Grynæus fatetur, Christum omnipræsentem esse.*

*Ergo carni quoq; eius tribuere cogitur, quòd ea omnipræfensit.*

Tu verò pia ingeniosaque iuuentus Deum ora pro ijs, qui fallacia à non consequente industi, & sensu cōmuni orbat non intelligunt, de toto multa dici, quæ tamen non omnibus & singulis partibus tribuantur. Sic multa de homine verissimè dicuntur, quæ tamē omnibus & singulis, è quibus homo componitur, partibus nequaquam conueniunt. Sic homo dicitur mortalis, cum tamen anima sine magno errore mortalis dici nequeat. Sic homo verissimè dicitur ratiocinari, cum tamen corpus minimè ratiocinetur.

netur. Hoc verò in persona Christi multò euidentius est. Christus reuera dicitur ex virgine natus, passus, mortuus, sepultus, à mortuis resuscitatus, in Cœlū elatus: cum Deitas nec nata, nec passa, nec mortua, nec sepulta, nec à mortuis resuscitata, nec in cœlum elata sit. Sic Christus, qui Deus & homo est, dicitur fuisse ante Abrahamum, & esse Deum & Filium Dei, & Patri consubstantialem honoreq; æqualem: cum humanitas eius neq; ante Abrahamum fuerit, nec Deus sit, nec filius Dei, nec Patri consubstantialis & æqualis. Qua propter manifestū est propositionē Iacobandricam vomica à non cōsequenti grauissimè laborare. Quanto igitur verius & constantius Augustinus ad Dardanum: *Christum Dominum nostrum, unigenitum Dei filium, æqualem Patri, eundemq; hominis filium, quo maior est Pater, & ubiq; præsentem esse non dubites, tanquam Deum: & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum: & in loco aliquo Cœli, propter veri corporis modum. Nam spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.*

### *De adoratione Christi.*

**H**OC quoq; loco timidus est Andreas, atq; se calumnię conuicetū esse fentit ac haud obscurè præ se fert homo alioquin in calumnijs defendēdis mirè pertinax & astutus. Primum igitur D. Grynaeus pag. Apolog. 50. è confutatione Iacobi Andreę repetitj, hæc verba, quibus ille calumniatus est, nos docere humanā Christi naturam adorandam non esse. *Lambertus Danæus scripsit: Quisquis non solum ad Diuinitatem sed quoq; ad humanitatē Christi etiam in ipsa vniōne permanentem, tanquam ad obiectum, suam inuocationem & adorationem dirigat, cum ex ore Dei maledictum, blasphemum, idolatram, damnatum esse.*

Ad hanc calumniam verè, & constanter, & ex mente Danæi respondit D. Grynaeus his verbis: *Potest sanè vir clarissimus D. Lambertus Danæus, optimo iure, cum Davide apud Dominum Iesum queri. Quotidie verba mea torquent: aduersum me sunt omnes cogitationes eorum ad nocendum. Psal. 56. Quum enim nequitquam negasset vñquam, vel totum Christum adorandum, vel etiam carnem eius gratia vñionis esse adorandum: sed de proprio adorationis obiecto egisset: ab hoc tamen in felice homine, absens in humanissimè tr. aducitur, & exagitatur. Postea vt calumniandi libido Iacobandrica, & nostra innocentia toti mundo pateficeret, calumniam eius syllogismo informauit hoc modo.*

*Quicunq; ait proprium inuocationis obiectum esse Deitatem, is negat humanitatem à nob̄ & assumtam, gratiā vñionis, esse adorandam.*

*Atqui*

*Atqui Danaus, & qui cum eo faciunt, aiunt, proprium inuocationis obiectum esse Deitatem.*

*Ergo negant Christum adorandum, ait Iacobus Andreas.*

Quid verò ad ista Cuculus Vbiquitarius coccysat? Adeo obliuiosus est, vt pristinorum coccysmorum non amplius meminerit vel potius adeò stupidus, vt nos non amplius agnoscat, ac propterea in has voces timidè erumpat: *More suo sophisticatur Cuculus, & argumentum sibi p̄si tale singit, & nobis deinde tribuit, in quo Maior, vt ait, habeat petitionem principij, & conclusio plura, quam premissa ferant, quibus addit: Talibus strophis & mendacijs Iacobus Andreas pugnat. Etsi autē p̄ijs nunc ita insultet, tamen paulo post triste spectaculum erit iusti iudicij diuini. Respondeo: Si stropha sunt & mendacia, tuae sunt strophae & tua mendacia, nos enim argumentum istud nostrum nequaquam agnoscimus.* Quò tenbam vultus mutantem Protea nodo? Tu verò pia iuuentus miserere eorum, & ab eorum doctrina caue, qui vbi suas calumnias detectas & refutatas vident, tāquam abiecto scuto, ex acie fugiunt, ac suas non esse vociferantur. Tu verò Andrea in posterum cautius & circumspetius agas, moneo: ne s̄apius necesse habeas, cum magna tui ignominia, tuas calumnias tam temerè confictas reuocare. Sed cum te tuorum pristinorū coccysmorum tantoperè pudeat: quid quæso noui portas? nempe inquis: *Nostrum autem argumentum tale est:*

*Idem est & proprium obiectum inuocationis, quod fidei, Rom. 10.*

*Sed obiectum proprium fidei est Christus, secundum vtramq; naturam.*

*Ergo & inuocationis obiectum proprium erit Christus, secundum vtramque naturam.*

Etsi Andreas hoc suum sophisma in confutatione non posuit, sed nudius tertius ab alio quodā suggestum huic suo Cuculo inferruit: tamē breuiter & perspicuè in gratiā iuuentutis dissoluemus.

Ac primò quidem Propositionem verissimam esse ore confitemur & animo credimus. Libenter enim non solùm D. Pauli dicto Rom. 10. sed etiā orthodoxæ fidei B. Cyrilli subscribimus; cuius ad Theodos. Imp. hæc sunt verba. *Quemadmodum est vna fides, que in Christum, & vnum verè Baptisma, quamvis Baptizemus et credamus in Patrem, & Filium & Spiritum sanctum: secundum eundem modum & rationem etiam vna adoratio est Patri, & incarnati Filij, & Spiritus sancti.*

Deinde vero assumptionem tuā negamus Andrea, animaduerentes te nobis & toti Ecclesię imponere fallacia diuisionis & compositionis. *Christus, aīs, est proprium fidei obiectum, quod verissimum est,*

*& à*

& à nobis conceditur , cōcediq; debet ab omnibus rectē sentientibus sensu cōposito. Nam credimus & credere debemus in Deum hominem factūm, item in verbum Dei incarnatum,in verbū quod ex Patre natum & in nostra figura apparuit , item in Emanuelē secundum quod verbum caro factūm est. Et sic credere, nos ex S. Literis Orthodoxa Ecclesia cōtra Eutychen & Nestoriū docuit. Quod verò addis, Secundum vtramq; naturam, sensu nimirum diuiso id nequaquā concedere possumus. Nam dicere Christum secundū vtramq; naturam, esse proprium adorationis obiectum seu respectu vtriusq; naturæ, seu propter & per vtramq; naturam, Nestorianum est, & Christum, ut rectē docuit Synodus Ephesina,in duo diuidit. Nam humana natura non in se , vt diuina, non ex se & propter se vt diuina,non propriè vt diuina, sed gratiâ unionis , & respectu diuinæ naturæ , in cuius persona subsistit & sustentatur, fit obiectum nostræ fidei & adorationis. Vnde apparet vel falsò vel æquiuocè & lubricè ab Andrea sumi vtramque in Christo naturam esse proprium nostræ fidei obiectum. Ut verò pius Lector intelligat, quod nam per se & proprium nostræ fidei obiectum sit,in quod tendit, & in quo propriè & tutò acquiescit, Orthodoxa Ecclesia iam ante multos annos constituerit & retinuerit aduersus calumnias Arij, opponā locum Cyrilli , qui extat in lib. de recta Fide ad Theodosium Imp. Non dicunt qui rectē sapere volunt, quod in solum credamus verbum natum ex Deo Patre , despoliantes illud carne. Neq; illud dicere prateribimus, dictum est enim : Non tanquam in unum nobis similem , neq; etiam in hominem fides , sed in Deum naturalem & verum tendit in persona Christi. Iuuabit autem hunc sermonem etiam sapiens Paulus scribens: Non enim nos ipsos predicamus sed Christum Iesum Dominum: nos vero seruos vestros per Christum, quia Deus est. Ex hoc dicto Cyrilli tale argumentum sophismati Iacobi Andreæ oppono , eiique ruminandum relinquo.

In quod fides tendit & in quo acquiescit , id proculdubio est primum ac proprium nostræ fidei obiectum. Hanc propositionem si negabit Andreas , quid faciet , quām vt se pueris ridendum & commiserandum propinet?

Atqui fides tendit, etiam in persona Christi,in Deum, non communicatum, non factitium, nō Deificatum, sed NATVRALEM, b. e. aternum , Deo Patri & Spiritui sancto consubstantiale & aqualem. Hanc propositionem si negabit Andreas , quid faciet , quām vt orthodoxæ fidei contradicat, ac se in castra Nestorij & Arij concessisse probet? M

**Ergo Deus naturalis in persona Christi est proprius nostra fidei obiectum;**  
**ac per consequens humana natura in persona Christi, non propriè &**  
**per se, sed gratiâ r unionis obiectum est nostra fidei: nisi Andreas duo pro-**  
**pria obiecta eiusdem rei constituit, quo l impossibile est.**

Hic verò Andrea omnes ingenij neruos intende, hic vulpinum demonstra, & sophistā te esse proba. Nam isti tui coccysmi, optimo iure, tibi reponuntur.

## De Statu Controuersiae.

### Caput III.

**N**hoc quoq; capite Cuculus Vbiquisticus suum timorē multis argumentis prodit: inter quæ haud minimo loco habere debet, quod sese nimis temerē calaminiatum esse animaduertēs pleraq; à D. Grynæo dicta omittit, atq; eorum ordinē, quod timoris certissimum signū est, impotenter inuertit ac perturbat: id quod pio Lectori paucis demonstrabo. Iacobus igitur Andreas, cum adhuc esset dignis. Cancellarius & presbyter Bibenhusianus, D. Grynæū, in statu controuersiae de S. Eucharistia constituendo, ab authore Orthodoxi consensus dissentire, hoc argumētoprobare tentauit.

**Confutat.**

**Pag. 39. &**

**40.**

**Apolog.**

**Pag. 52.**

*Grynsus scribit questionem esse de verborum institutionis Cœne Domini Germana interpretatione. At autor Orthodoxi consensu, questionem esse scripsit, de opinione Lutheri. Ergo Grynsus ab autore Orthodoxi consensu disfudit.*

Huic Carneadeo argumento D. Grynæus his verbis respondit:  
*Pramitte Enthymemati Maiorē, et habebis carcinoma Sophismatis Iacobædrici.*

*Quicunq; hactenus dicunt controuersiam esse de sententia verborum Cœnæ Dominicæ, vt in eo iam vertatur cardo, Lutherine opinio & interpretatio, an verò nostrarum Ecclesiistarum sententia & interpretatio, verior sit nec ne? Illi inter se dissentunt.*

Quid verò Iacobus Andreas, postquam ex Cancellario & Presbytero factus est Cuculus Vbiquisticus? Apprimè ad rem respondeat, scilicet si populus vult, his verbis. Non magni momenti sunt de quibus hic controuertitur: & habuisset Cuculus longè grauiora, vtilia etiam magis & necessaria: sed voluit nobis, qui esset, demonstrare, videlicet ex eorum numero, qui calicem excolant, & camelinum deglutiunt. Respondeo. Mutato nomine de te fabula narratur Cucule siue Vbiquisticè, siue Capernaiticè, non calicem sed cum ἀρθεωποφάγοις carnem deuorans,

siue

sive Pharisaei. Si hæc sunt exigui momenti, quid opus erat, ea in tua confutatione, tam operose & tam tragicæ vociferatione inculcare? Nempe ut ostenderes te ex eorū ordine esse, qui pugnis de lana caprina pascuntur. Interea verò cur tuam calumniam non excusat? cur ad rem non respondes? cur obmutescis? nempe ut ostendas te ex eorum ordine esse, qui calumniari & calumniarum conuinci turpe minimè ducunt. O te miserū calumniosæ Vbi quietatis alumnus? o miseros eos, qui tibi fidem habere cogūtur, cum toties in mendacijs deprehendaris. Nunc persequamur cætera. *Confutat.*

Andreas Bibenhusianus pro victoria sibi decernenda & obtinenda tale argumentum formauit. *Pag. 40.*

*Grynaeus fatetur nos retinere scriptum in verbis Cœne:*

*Ergo hæc confessio plus quam dimidia pars victoria est contra Zuinglianos.* *Apolog.*

Ad antecedens respondit D. Grynaeus his verbis: *Suprarepondi,* *Pag. 52.*  
*q.d. ut id est in illud à me dici. Retinent sancè scriptum, perinde ut Catabaptistiæ illa verba: Ne iuretis omnino, Matth. 5. 34.* Sed quid ad hæc Andreas? *At scriptum in verbis Cœne inter principia nostra confirmantiaretulit.* Ita sancè Andrea: sed non aliter verba. Cœnæ vobis principium sunt, quam ut Catabaptistis illa verba, Ne iuretis omnino. Nam scriptum in verbis Cœnæ tam valet ad corpus Christi pani includendū, quam illa Christi verba ad legitimum iusserandum tollendum. Quid verò respondes amplius Andrea? *Quod cum animaduerteret, ait, ipse, tertium etiam responsum adiungit: Perinde loquitur Iacobus Andrea, inquit Cœnulus, ac si quis dicat: De iustificatione contendentes, & quæ sequuntur.* Paulô verò post tanquam victoriâ constituta triumphabundus exclamas. *Sed quæso ego te, optime mî Lector, quid dicit, aut quid respondet: an non reuera iumentis simili factus est, qui etiam seipsum non intelligit.* Define verò vociferari, define obtestari Andrea: sed ad punctū temporis hominis sobrij cognitionē suscipe, & cogita potius, quam intolerabilis & impudens sit tua calumniandi libido & insania: qua transuersum actus affirmare audes ea, quæ constat esse falsissima. Nam Grynaeus hæc, quæ tu hoc loco declamitas, verba ad præsentum tuum sophisma non respondit: sed tuæ calumniæ, de disfensione inter ipsum & authorem Orthodoxi consensus, opposuit. Quapropter mirum non est, hæc verba ad præsentum tuum sophisma nihil attinere, cum ei non sint ab ipso authore opposita, sed à te, Vbi quietistica fide, in locum alienum detorta. Neque idcirco D. Grynaeus iumentis simili factus est, quia tu tam aperte & impudenter calumniaris.

Post hæc Andreas suam cōsubstantiationem & capernaïticam mandationem stabilire conatur aliquot testimonij Patrum, quæ ipsum tantum iuuant, quantum sol æstiuus niuem aut butyrum. Cum vero de his ipsis & alijs Patrum testimonij copiosè disputauerimus in Elencho nostro à pag. 71. usque ad pag. 78. non necesse habemus eadem hoc loco repetere. Lectorem itaq; candidum, breuitatis studio, non dubitamus eò remittete.

## *Descriptio verborum Cœna.*

### *Caput IIII.*



CRISSERAT D. Grynæus, si scriptum in verbis Cœna seruetur, ad Transubstantiationem potius Pisticam, quam ad consubstantiationem probandā facitum. Id Andreas ad hunc modum oppugnauit.

*In verbis Cœna Dominica: Hoc est corpus meum &c. prædicatione negat, nisi figura, sed inusitata & Sacramentalis est.*

*Ergo scriptum in verbis Cœna non patrocinatur Transubstantiationi.*

Responsum fuit antecedens petere principium, hoc est ipsum quæsitum pro argumento aslumere: quippe cum Iacobus nondū probarit, præter figuratam & propriam prædicationem tertium quoddam esse genus, quod inusitatū appelletur. Nunc igitur Iacobus Andreas suum in argumentando errorem agnoscens incipit probare tertium esse inusitarum prædicationum genus, ad quod Sacramentalis reuocari debeat. Nititur autem duobus potissimum argumentis, quæ breuiter ponderabimus.

1. *Philippus Melanchthon, qui quid in artibus præliterit & Philosophia, nemō ignorat, & grati omnes agnoscunt, inter cetera inquit: Vera prædicatione, aut est regularis, aut figurata, aut inusitata.*

*Ergo non omnis prædicatione aut est propria aut figurata, sed inusitata quoque ad quam prædicationes Sacramentales pertinent.*

Philippi, viri cōmemorabili pietate prædicti, laudes tam extollimus nos, quām vos deprimitis, virtutes tā suspicimus nos, quām vos odistis, merita, quæ in Remp. literariā & Eccles. constant, tam agnoscimus nos, quām vos eleuatis Andrea, grati sc. Cuculi. Atq; hoc ipso loco, quo te autoritat. & existimationem Philippi vindicare velle simulas, grauissimā optimo illi & nunquā satis laudato ignominiae maculam, vt iam multos annos fecisti, inuris. Ac primò quidē omnibus intelligentibus probas, te, vt Philippi scripta vatiniano odio prosequeris, ita ea minimè intelligere. Quomodo enim

enim Philosophiæ iuratus hostis, philosophica tantorum viro-  
rum scripta intelligeres? Nam D. Philippi hæc fuit sententia, non  
vt tria illa, quæ percenses prædicationum genera inter se tan-  
quam *ἀνιδηνημέρα* opponeret: sed vt regulares prædicationes,  
habito non verborum sed rerum respectu, siue proprijs siue figu-  
ratis vocibus enunciatas, opponeret irregularibus, quas inusita-  
tas vocat, vt pote quæ non nisi extra communes naturæ leges, ve-  
ræ esse possint.

Deinde verò haud ignorant alij (nam te ignorare nihil est du-  
biū) D. Philippum, posterioribus cogitationibus, quæ semper,  
vñsi docente, meliores esse consueuerunt, loco relicto, & re accu-  
ratius ponderata, inusitatam prædicationem ad *τρόπον ἀνιδηνημέρας*  
& communicationem idiomatum reuocâsse in scriptis Theolo-  
gicis. Huic profectui, quem D. Philippus, homo integrissimus, &  
incredibiliter laboriosus, etiam in senectute fecit, inuidet Iaco-  
bus Andreas, non modò nihil proficiens, sed quotidie deficiens  
Mandrabulus, atque hanc præclaram laudem obscurare cona-  
tur.

Deniq; quod D. Philippus de prædicationibus, quas sacra scri-  
ptura de mysterio incarnationis filij Dei usurpat, scripsit: id Iaco-  
bus Andreas, vt Philippi existimationem imminuat, eumque ab-  
sundi dogmatis insimulet, ad prædicationes sacramentales ac-  
commodat: quasi D. Philippo vel per febrim vel per somnium in  
mentem venire potuerit, duarum rerum toto genere differenti-  
um, quales sunt vnio personalis, & vnio sacramentalis, vnam &  
eandem esse prædicationem. O lepidum Andreæ caput, & cui ni-  
hil deest quām helleborum. Et certè Philippus, quasi præfigaret,  
fore aliquando homines (si modò homines nominandi sunt, qui  
se in rebus salutem nostram concernentibus mulos & equos esse  
gloriantur) qui suam doctrinam tām fœdè corrumperent, eāq; ad  
luos nouos errores palliandos abuterentur, idcirco inusitatis,  
quas vocat, de filio Dei prædicationibus adiecit: *Simile exemplum*  
*in rerum naturā non extare nec dari posse.* Hæc verò admonitio pia &  
vera apud istos sinistros D. Philippi imitatores non maioris mo-  
menti fuit, quām vt superiori exemplo prædicationes sacra-  
mentales nefario ausu adderent. Quod si Philippus nunc à mortu-  
is resurgēret, ineptos illos suos imitatores tam percelleret sua  
autoritate, quām olim VVormatiæ Brentium Vbiquitatis primū  
& infaustum partum ei offerentem perculit.

Cæterum Andrea, mirum est, te hoc loco D. Philippi, quem ex animo odisti, & cuius præclaram memoriam ex animis hominum funditus extirpatam velles, autoritate nitendo, Lutheri, quem nobis ~~ἀναμέλησον~~ fingis, & sacroſanctum haberivis, existimationem eleuare, eiusq; doctrinam in dubium vocare.

Nam primò haud ignoras (ſi modò aliquid non ignoras) Lutheri & incognitum & inuisitatum fuſſe prædicacionum ſacramentoſum genus. Itaq; ſi verum eſt, quod tu cum tuo Vbiquitario grege fingis, necelle habes fateri Lutherum doctrinam de Sacramentis vel omnino non, vel ex parte faltem intellexiſſe: vt pote cui modus verus & genuinus de Sacramentis prædicandi planè incognitus & inuisitus fuit. Itaq; ſi vincat hoc loco Andreas, Lutherus etiam ſuis diſcipulis, à quibus hactenus adoratus fuit, poſtponetur.

Deinde verò quis non intelligit Lutherum prædicationes ſacramētales figuratas & tropicas eſſe conſtanter docuiſſe: cū eāſ ſynedochicas eſſe dixerit & ſcriperit? Nisi Andreas poſita ſpecie ge- nus ponit, aut ſynecdochēn figuratam prædicationem efficere, negare auſit. Attende ergo, candide Lector, quām bellè diſcipulis cum ſuo præceptore conueniat, & quām conſtanter eius doctri- nam tueantur. Lutherus, ait, *prædicationes ſacramētales eſſe figuratas*: Iacobus Lutheri doctior (ſi credere fas eſt) eiq; per omnia con- ſentiens (ſi in Vbiquitaria Grammatica diſſentire, modo ſuper- naturali, eſt conſentire) ait, *Non eſſe figuratas ſed inuisitas*. O diſcor- dem inter Lutherum & Andream concordiam. Quapropter ſi hoc loco vincat Andreas, ſternetur Lutherus, eiusq; doctrina fal- ſitatis arguetur. Libet autem, vt pius Lector ludibria Iacobi An- dreæ eō melius cognoscat, eius argumentum ab autoritate D. Phi- lippi ductum hoc enthymemate proponere:

*Philipus Melanchthon, verum Germania lumen, primò in ſuis Dialecticis inuicem prædicationem enunciationes de filij Dei incarnatione no- minauit, atq; ibi expreſſis verbis docuit, ſimilia exempla in rerum na- turā non extare: poſtea verò ſecundis cogitationibus, vt pote meliori- bus, loco relatio, & re accuratiuſ ponderata, enunciationis de filij Dei incarnatione, ad Koīrōvīdīg īδιαμέληρ & τρόπον ἀνιδόceas retu- lit, hoc eſt figuratas eſſe ſtatuit: locutiones verò ſacramētales meto- nymicas, hoc eſt figuratas eſſe ſenſit, ſcripſit & docuit.*

*Ergo ego Iacobus Andreas, et ſi ipſi Lutheri pariter & Philippo contra- dicam*

*dicam, à varlippiños & apodictice concludo ex autoritate Philippi  
& mea Dialectica plaustraria, prædicationum tertium esse genus, quod  
in usitatum vocatur, & ad quod prædicationes sacramentales rite ae-  
commodantur.*

Intelligit ergo pius Lector, quām infirmis, imò quām nullis  
præfidijs Iacobi Andreæ opinio muniatur: ita vt quilibet, in quo  
falso tem recta ratio est, ab ea sibi merito caueat. Nunc alterum ar-  
gumentum pro inusitata prædicatione, quod constat deductione  
ad absurdum, audiamus & examinemus:

*Si hoc tribuatur Gynaœ non esse prædicationem aliam nisi propri-  
am aut figuratam, tum in propositione: Deus est homo, cum  
propria prædicatio esse non posse, quomodo enim diffaratum  
de diffarato prædicari posset propriè? sequitur esse figuratam  
ita figuratam incarnationem, figuratam passionem, figuratam  
mortem & resurrectionem, deniq; figuratam redēptionem atq;  
salutem habebimus.*

Hoc suum lemma amplificat Andreas duobus schematibus  
Rheticis sibi valde familiaribus: prius est tragica exclamatio,  
qua Deum principesq; viros his verbis implorat: *Obseruate autem  
per Deum immortalem, viri Principes, id hominis monstrum, nam monstri ali-  
quid alit. Posterior est dira imprecatio his verbis concepta. Increpet  
te Deus Sathan.*

Nos verò, Iacobe Andrea, non dubitamus & coram viris Prin-  
cipibus, & coram omnibus pijs nostram sententiam, quam tu  
monstrosè depraues, exponere: atq; Deum inter te & nos iudi-  
cem appellare.

Ac primò quidem, antequam ad maculam, quam nobis inu-  
rere conaris diluendam veniamus, obseruate viri Principes, si  
modò per Theologos nostris libris ad vos aditus aliquis patet,  
obseruate inquam, lac. Andr: hoc loco monstrum sibi ipsi omni-  
bus modis cōtradicēs alere vobisq; alendum obtrudere. Nam ne-  
gat propositionem hanc, *Deus est homo, esse propriam: & tamē con-  
tēdit, omnes eius partes propriè, & sicut sonant verba, accipiendā  
& intelligendā esse. O rerum & verborū monstra, quæ inefitè pie  
mentes exhorescunt. Etenim cōtradictio illa conuellit & labefac-  
et at axioma, q; alioquin tā in Philosophia, quā in Theologia firmis-  
simū & verissimū esse creditur: Totum est eius modi, quales sunt partes om-  
nes è quib. constat. Atqui I. And: ait, in propoſitiōe, De⁹ est homo, om-  
nes partes esse proprias, proprieq; intelligēdas: totūverò, q; ex par-  
tibus*

tibus componitur; hoc est, ipsam propositionem esse impropriam. Hanc contradictionem quicunq; vult, probet: modò videat vt id sine periculo suo faciat.

Deinde verò obseruate, viri Principes, Iacobum Andream, qui iam diu nihil aliud egit, quam vt vos in errores induceret, petere principium, sumendo nimirum pro confessio, quod vt demus, nulla nos adigit necessitas. Nam quid responderet Andreas, si nos opponeremus in hac propositione, Deum & hominem non esse disparata: quod ad subsistentiam attinet, quippe cum hic homo non nisi in persona Dei verbi subsistat. Cæterum hæc Andreæ parùm eruditio Logico condonentur.

Tertiò hoc quoq; obseruare vos, viri Principes, opera pretium omnino erit, nimirum Iacobum Andreæ ludere, & vobis totiq; Ecclesiæ Dei illudere fallacia æquiuocationis in particula, *Figuratè*. Nam longè aliud est aliquid dici figuratè, hoc est figuratis verbis exponi: aliud verò rem aliquam figuratè, hoc est in figura tantum fieri: quæ duo, calumniandi studio, ineptè confundit Andreas. Itaq; minimè sequitur. Hæc res figuratè, hoc est, figuratis & tropicis verbis exponitur: Ergo res ipsa nihil aliud est, quam nuda & inanis figura, seu non nisi figuratè fit. Nam si hæc Iacobandrica regula locum haberet, & vera eslet, multa inde sequerentur absurdia, quæ nostram religionem funditus euerterent: id quod aliquot exemplis planum faciam. *Semen mulieris conculet caput serpens, et serpens conteret eius calcaneum.* Genef. 4. vers. 15. Hæc enuntiatio tota tropica, tota figurata est: quis verò tam blasphemè impius est, vt vel neget eam figuratam & tropicam esse, vel regulam Iacobandricam securus affirmare ausit, Christum figuratè tantum Diabolum viciisse, & figuratè tantum mortuum esse? Vides ergo Andrea, quò tua te abripat calumniandi insania. *Circumcisio est fœdus inter Deum & Abrahamum.* Hanc propositionem quis adeò rerum rudis est, & figuratam esse neget? aut quis adeò desperatè impius, vt Iacobi Andreæ regulam securus, dicat fœdus inter Deum & Abrahamum figuratum tantum fuisse? Intelligitis ergo viri Principes, quantos monstrorum cumulos pariat Andreas Iacobus. Disce igitur Andrea, disce inquam, aliud esse rem figuratis verbis exprimere, & aliud, rem ipsam figuratam esse: et multa Figuratis verbis exponi, quæ tamen revera sint, existant, et fiant: ut modò exemplis demonstrauimus.

Quartò & hoc obseruate viri Principes, & impium non esse, neque

neq; indè sequi Christum esse figuratum hominem, etiam si quis dicat hanc propositionem, *Deus est homo*, figurata & tropicā esse. Imò hoc & absurdissimū & extremè impium est, si quis in ista propositione synecdochen non admittat, ac proinde figuratam esse neget. Nam nomen, *Deus*, propriè acceptum essentiam Diuinam, quæ tribus personis constat, absolute denotat: atq; idcirco nisi per synecdochen ad hypostasin filij Dei accommodetur, sequetur & Patrem & Spiritum sanctum, hoc est, totam trinitatem incarnatam, passam, mortuam, sepultam, à mortuis resuscitatam esse: & quā hæresin spiret, nemo non intelligit. Deinde verò, Hominis appellatio propriè significat humanam naturā in cōcreto vniuersaliter consideratam: iam nisi in hac propositione, *Deus est homo*, per synecdochen ad indiuiduum illud, quod filius Dei hypostaticè assumit & sustentat, transferatur: quis non videt hæresin tuam illam execrandam renouari? quam à Brentio acceptam totidem verbis expressisti Apolog. ad Theses Ingolstad. pag. 38. *Christus homo hoc habet commune cum omnibus sanctis, quod cum eo Deus personaliter fuit unitus.* En Andrea quò te odium troporum & ignorantia abripiuerit? Atqué hunc tropum diligenter & accurate notauit Damascenus lib. 3. de Orthodoxa fide, ex quo ista prius discere debuisti, quām tam rancidam calumniam viris Principibus proponeres. Tò δὲ θεὸς, inquit ille, καὶ ἀνθρωπός, καὶ ἐπὶ τῆς φύσεως τάττεται: ὅπερ ὅτῳ λέγωμεν, θεός ἐστιν ἀκαλάπτητος ὄντος, καὶ δὲ οὐ θεός. Λαμβάνεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ὑποστάσεων, ὃς τὸ μεσοκοίτερον δεχομένην, τὸ τῷ καθολικῷέρετον ονομα: ὃς ὅτῳ φυσίν ή γεσφή. Μιατρύτο ἔχρισέ σε ο θεὸς θεός σε. Ιδί γαρ καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν ἐδίλωσε. καὶ ὃτῳ λέγει: Ανθρωπότης οὐ καὶ χωραὶ τῇ ἀναπτότι: τὸν γὰρ ιώβ μόνον ἐδίλωσε.

Denique & hoc obseruate, quæsumus, viri Principes, quid olim Cassianus, Iohanni Chrysostomo coætaneus, de hac re scripsit lib. 6. de Incarnatione Domini cap. 6. *Quicquid ergo de Domino nostro Iesu Christo dixeris, totum dicis: & in Dei filio filium hominis, & in hominis filio Dei filium nuncupabis: troposcilicet synecdoches, quo & à parte totum intelligitur, & à toto portio nominatur.* I nunc Andrea, & calumniare Cassianum figuratam incarnationem, figuratam passionem, figuratam redemtionem docuisse: cum tamen nemo Orthodoxus in hoc mysterio Cassianum reprehenderit vñquam.

In fine capitilis huius grauiter conqueritur Andreas de atrocissima calumnia sibi à D. Grynæo facta; de qua pauca nobis dicen-

da sunt, ut intelligatur, vtrum Iacobus Andreas inscius seipsum, aut verò alij Iacobum Andream calumnientur.

Scripsit igitur Iacobus in Confutat. pag. 41. sicut & ipse fateatur in Cuculo pag. 120. & 121. *Prædicationeq; vñitata, neq; figurata, sed inuisitata & sacramentalis est, quando panis de corpore Christi, propter vñionem sacramentalem, sicut homo de Deo, vel Deus de homine personaliter in Christo prædicatur.* Hæc sunt verba Iacobi Andreæ, è quibus D. Grynæus hunc syllogismum extruxit.

*Qualis est prædicatio, Homo est Deus : & Deus est homo : talis est & hæc prædicatio, Panis est corpus Christi, & è contraria.*

*Sed propter vñionem personalem Homo de Deo : & Deus de Homine prædicatur personaliter.*

*Ergo propter vñionem sacramentalem, de pane prædicatur corpus Christi : & è conuerso.*

Quidverò Andreas ad hoc ? nempe pro beneficio accepto maledicta reponit. Aequalis Lectio, inquit, *hominis malitiam facile animaduertit.* Nam quod D. Iacobus dixerat: *Quemadmodū (propter vñionem personalem) prædicatur homo de Deo, ita (propter vñionem sacramentalem) prædicatur panis de corpore Christi. Cuculue, omessa in maiori propositione prædicationis & vñionis personalis & sacramentalis specifica differentia, ita maiorem formauit, quasi D. Iacobus eandem rationem prædicationis & vñionis in vtrâque propositione doceret.* Imò D. Iacobus, si non eandem statuis vtrinque prædicandi rationem, quid opus erat illa particula comparisonis, *Si ut?* aut si diuersa est prædicandi vtrinque ratio, quid attinebat has duas prædicationes inter se conferre, & alteram alteram illustrare ? aut si diuersum est vtrinque prædicandi genus, quomo do ad unam & eandem prædicationis speciem prædicatio sacramentalis & personalis à te referuntur ? O implicatum Ubiquitatis mancipium.

Cæterum ne amplius conqueri possit Andreas, & ipsi satisfiat, en maiorem ita ut vult & censem formabimus, atque in maiori propositione specificam, quam vocat differentiam, utriusque vñionis ponemus: Sed, *Spectatum admisi: risum teneatis amici.*

*Quemadmodū propter vñionem personalem homo de Deo, & Deus de homine prædicatur personaliter : ita propter vñionem sacramentalem panis de corpore Christi prædicatur sacramentaliter.* En Andrea, habes maiorem ex animi tui sententiâ. Nunc si placet assu me.

*Atqui propter unionem personalem homo de Deo & Deus de homine prædicatur personaliter.* Habes minorem, cuius te meritò puderet.  
Nunc infer complexionem.

*Ergo panis de corpore Christi prædicatur propter unionem sacramentaliter.*

Nunc ergo cogita, mihi homo, an non verè de te ad hunc modum argumentante D. Grynæus scripsérit: Tu verò, pia docta que iuuentus, quæ eiusmodi sophismata legis, miserere eorum, qui illa proferunt, hoc tam eruditò seculo. Teverò commiseratione dignum esse intelliget pia docta que iuuentus, si simile hoc argumentandi genus, quod tibi haud ignotum est, obseruat.

*Quemadmodum Iacob: And: Bebenhusj nimia vini ingurgitatione inebriatur: sic idem Andreas foris nimia rerum prosperitate ebrius inflat & effertur.*

*Atqui Iacobus Andreas Bibenhusj nimia vini ingurgitatione inebriatur: id quod preteritus annus abundè docuit.*

*Ergo Iacobus Andreas foris nimia rerum prosperitate et affluentia inflatur & effertur.*

O auream logicam, ad hunc modum argumenrari docentem. Profectò si Luciano cognita & lecta fuisset, nunquā Philosophos tantoperè risillet & exagitasset.

## *De consubstantiatione*

### *Caput V.*

**C**Onsubstantiationem se non statuere, Confutatio Iacobandrica hoc arguento probare voluit:

*Non statuunt consubstantiationem, qui fatentur praesentiari Corporis Christi non esse naturalem, sed supernaturem, diuinam & coelestem.*

*At ego ista fatetur. Non ergo consubstantiationem statuo.*

Responsum est, Iac: And: hoc argumēto sibi contradicere, idq; bifariam: primò, quodd dicat, corpus Christi naturale, essentiale, substancialē in & sub pane adesse: item corpus Christi sensualiter & oraliter dētib⁹ atteri: & tamē neget corp⁹ adesse naturaliter. Dein de vero quodd neget praesentiā illā esse spiritualē & tamen affirmet

esse diuinam, cœlestem, supernaturalem: quasi modus spiritualis differat à diuino, cœlesti & supernaturali.

Quidverò ad hæc Cuculus Vbiquitarius? Ad posteriorem contradictionem tacet, hoc est fatetur, veram esse contradictionem, quam conciliare & defendere amplius non possit. Hoc enim sibi vult tam altum silentium. Ergo ex una parte se victum esse, Cuculus agnoscit. Quid igitur facit? Prioris contradictionis alteram partem quoque agnoscit, & veram contradictionem esse itidem suo silentio probat. Quæ verò inquis, p' e Lector est, illa? Hæc est, corpus Christi in, sub, cum pane sensualiter dentibus atteritur: & corpus Christi adest supernaturaliter, & supernaturaliter comeditur. Ergo Iacob? Andreas proficiens tandem fatetur, dentibus sensualiter atterere, & supernaturaliter comedere, contradictionem implicare. Quapropter duobus armis exutus & spoliatus, tertium, quod sibi reliquum esse putat, arripit, & in nos ad hunc modum cōtorquet: *Si Cuculo esset tantum cerebri, quantum fastus & ambitionis, posset forte cernere aliquod discrimen inter esse rei, & essendi modum.* Animus nobis præsagiebat te, rationibus destitutum, conuicijs certaturum esse: quæ tibi libenter relinquimus. Tuum verò erat, siquidem tantum cerebri habes, probare te nō simul modum essendi & ipsum esse exprimere: quandoquidem mordicū propugnas illud Lutheri: *Quod panī fit, idipsum verè & propriè corpori Christi tribuitur propter sacramentalem unionem.* Cum igitur negare non possis panem adesse in Cœna naturaliter, id est modo naturali & locali: nolens volens concedes corpus naturalē & essentialē naturaliter & essentialiter adesse: quia, tua ipsius confessione, *Corporis Christi verè & PROPRIE tribuitur, quodcumq[ue] panefit.* Nisi malis dicere, panem quoq[ue] supernaturali modo & illocaliter adesse.

Quidverò amplius habes Andrea? Nempe cum videaste nullo loco consistere posse & omni præsidio demūdatū, rides tēq[ue] & Lutherum toti mundo ridendū propinas, dum nimis Lutheri saluiā pro nectare habes & alijs propinas. *Et quia adeo stolidus est, aīs, pingui Minerua agam, & D. Lutheri explicationem cum docebo, qui ait.* Imò Andrea nec tuum acumen nec Lutheri nobis hoc modo probabis. Et certe nostrā stoliditatem in eo libēter agnoscimus, q[uod] Lutheri pinguem Mineruam, quam allaturus es, doceri nō possumus. Cæterū audiamus te renouantē id, q[uod] Lutheri existimationē tam augebit, quam hactenus conuiuales eius sermones, à vobis sine iudicio & pietate editi auxerunt. *Prætor noster non est in rubris caligis in balneo: Ergo non est in balneo.* Imò

Imo Andrea hoc Lutheri, λεπτολόγημα (ignosce liberius loquēti) nunquam renouâsles, sed ex hominum memoria, quoad potuissest, fustulisses, nisi βαλανέvs balneator esses. Nam quæ, dic nobis, analogia est & comparatio inter rubras caligas prætoris vestri, hoc est, inter accidens separabile & commune, & inter rem à suo subiecto ne cogitatione quidem separabilem, imò cum eo commeantem? Scilicet rubræ caligæ prætori idem sunt, quod in corpore naturali circumscriptio, localitas, visibilitas, & cæteræ proprietates, sine quibus corpus consistere nullo modo potest. De qua tamen re Hosianorum tuum, cui caligarum natura proculdubio optimè cognita est, vt pote à quibus nomine traxerit, consule. Cæterum Andrea dabimus tibi, vt Hosianum gratum faciamus, simile hoc vestrum, quod dum calidis thermis uteremini renouandum censuistis, quatuor pedibus & pulcherrimis caligis ornatum currere: si prius ad hoc responderis. Potest ne ylla ratione fieri, vt prætor vester uno & eodem tempore reipsa sit indutus rubris caligis, & non sit indutus rubris caligis? Si affirmas Andrea, quid restat, quam ut pueris septennibus te ridendum propines ac fabula fias? Si negas, qua fronte & religione affirmabis, corpus Christi uno & eodem tempore reipsa visibile & inuisibile, palpabile & inpalpabile, locale & illocalre, finitū & infinitum esse? Quapropter nolite in re tam seria & graui, tam ἀπρόσδιόρυστa afferre exempla: ne recte de vobis dicatur: Canis in balneo.

## *De via regia in controversia Eucharistie.*

### *Caput vi.*

**H**oc quoque capite, vt in multis alijs locis, Iacobus Andreas bella vtitur στοπλανίσει, qua vulnus sibi inflatum tegere ac dissimulare studet, his verbis: *Totum hoc caput nihil habet, ad quod non dudum responsum sit, prater unicam columnam.* Imò Andrea hoc caput illud in se habet, ad quod nec respondisti, nec respondebis inquam. Gloriaris enim, cum magno Ecclesiæ scandalo te cum tuo grege Vbiquitario præcisè retinere scriptum in verbis Cœnæ. Hanc tuam gloriationem falsam & nihil nisi fumum esse probauit D. Grynæus his verbis: *Scilicet ita retines scriptum in verbis Cœna, vt Lutheri*

*fynedochen non neges: & vt propositionem, Hoc est corpus meum, declares bellis  
tuis similibus, Quum infans in cunis iacens matris lactandus exhibetur, En, dici-  
tur, tibi infantem. Et quum vinum in cantharo porrigitur: Entibi vinū, dici con-  
suevit. Hæc hæc, inquam, sunt Andrea, quæ tu astuto silentio præ-  
terire, quām verbis & rationib. excusare voluisti. Et vt intelligent  
piè mentes, quām longè non solum à verbis, sed etiam à vera earū  
sententia tuis istis monosyllabis, aberres: hæc, quæ subiungā, me-  
cum recognoscāt. His verbis, Panis est corpus Christi, declaratur  
quid sit panis in S. Cœna, seu pro qua re, vt cū scholis loquamur,  
præsupponat vocabulum Panis. At hisce verbis, in, sub, cum pane  
est corp. Chr. indicatur non quid sit panis, sed vbi sit Christi corp.,  
quod à fine S. C. plurimū abhorret. Quandoquidem non ex S.  
C. sed ex artic. fidei & alijs S. locis, vbi nunc Christi corpus degat,  
erudimur; videlicet nō i pane, sed in celo: ûdc id quoq; ad iudicium  
non in panem venturū esse scimus & expectamus. Respondisti ne  
vnquam ad hæc Andrea: an etiam te respondere posse confidis?*

Nunc audiamus calumniam illam, quam in h.c. contineri affir-  
mas, audiamus: *Tribuit nobis, inquit Cuculus, I. Andr. quod & Transubstant.  
probemus. Et addit conuicia. Habet iuuentus triste exemplum cæcitatis & men-  
tiendi libidinis in hoc homine.* Hæc igitur, quandoquidem tu ita vis, sit  
calumnia: quid verò tu ad illam? *Mirabar initio, quo modo Transubstan-  
tiatio illius tribui posset, qui in actu Cœna nil nisi panem & vinum distribui fa-  
bulantur: sed cum verba inspicere calumniatorem deprehendi.* Imò tu An-  
drea simul & fabularis & calumniaris. An non enim inanis illa tua  
fabula & impudens calumnia est: qua ais, nos fabulari in Cœna nil  
nisi panem & vinum distribui? Monstra, Andrea, in nostris scri-  
ptis vel vnum eius rei apicem: & simul te nec calumniatorem, nec  
fabulatorem esse demonstrabis. Vt autem candidus Lector intel-  
ligat D. Grynaum calumniatorem à te non deprehendi: conside-  
ret hæc tua verba, quibus Transubstantiationē nobis aperte tri-  
buis. *Benè autem, ait Hypocrita, bonam nostram causam tum demum age-  
mus, si in hac disputatione, medium regiamque viam ingressi, neq; ad dexteram  
neq; ad sinistram nimium deflexerimus. Utinam & ipse & soci eius hoc face-  
rent: Sic enim neque Pontificum Transubstantiationem approbarent, nec pe-  
cularem suum errorem de significatione & representatione dunt taxat corporis  
& sanguinis Christi approbarent. Si igitur Andrea nobis Transubstan-  
tiationem non tribuisti: fac tua contradictoria Dialectica, vt se-  
mel emissum verbum, non sit emissum. O te cæcum & miserum  
Vbi quietatis mancipium.*

**Confutat.** *10.* *Benè autem, ait Hypocrita, bonam nostram causam tum demum age-  
mus, si in hac disputatione, medium regiamque viam ingressi, neq; ad dexteram  
neq; ad sinistram nimium deflexerimus. Utinam & ipse & soci eius hoc face-  
rent: Sic enim neque Pontificum Transubstantiationem approbarent, nec pe-  
cularem suum errorem de significatione & representatione dunt taxat corporis  
& sanguinis Christi approbarent. Si igitur Andrea nobis Transubstan-  
tiationem non tribuisti: fac tua contradictoria Dialectica, vt se-  
mel emissum verbum, non sit emissum. O te cæcum & miserum  
Vbi quietatis mancipium.*

*Calumnio-*

# *Calumniosā interpretationes.*

## *Caput VII.*

N hoc quoq; capite miserum sese ac miserandū p̄abet Andreas: ac vt D. Grynæum leuitatis conuincat, sese Transubstantiatoribus atque Consubstantiatoribus, quod haētenus strenue dissimulauit, annumerat. Nam scriperat D. Grynæus eos, qui Transubstantiationem seu Consubstantiationem profitentur, Christū mundi Elementis affigere, & ex Sacramentis totidem idola facere. Iacobus ergo Andreas dū se hoc loco notari & perstringi tam pertinaciter affirmat: quis non videt hunc hominem sese in gregē Transubstantiatorum & Consubstantiatorū annumerare. O miserum Vbiuitatis mancipium. Illud verò ridiculū est, quod Andreas, tanquā Atlas quidam & pomposus Maximus, conatur probare se hoc loco à D. Grynæo perstringi, tali arguento nixus. *Grynæum non tantum de imperitis Pastoribus locutum esse patet ex particula, Quicunq; Ergo Grynæus Iacobum quoq; Andream perstringit.* Itaq; caue Germania, sub pœna excommunicationis, ne tuum Pseudopapam imperitis pastoribus anumeres. Sed valeant hæc leuicula, quibus Vbiuitas, otio abundans, sese obliecat.

Vnum hoc addam, quo Andreas probat ludum non esse, si quis dicat: Corpus Christi adest in mysterio, adest realiter, adest in pane, tali arguento vñsus.

*Siludus est dicere, corpus Christi adest in mysterio, adest realiter: tum sequetur etiam ludum esse dicere: ab eo realiter seu re ipsa assumit carnem: Et quod verbum caro factum est, est mysterium.*\*

Scitè profe&tò admodum & festiuē ludum ludo accumulas. Scilicet nihil interest inter vñsum vocabuli Mysterij, quādo de Sacramentis dicitur, rem adeste in mysterio: & quando de incarnatione æterni Filij Dei dicitur, *Sine controuerbia mysterium pietatis magnum est: Deus conspicuus factus est in carne, 1. Tim. 3. 16.* Nihil autem intererit, si Iacobus Andreas probauerit, Corpus Christi eodē modo copulari cum pane, quo in vna Christi persona duæ naturæ vniuntur. Quis igitur non videt Iacobum Andream etiam hoc modo, vidente & lugente Ecclesia Dei, ludere & ridere: cum res toto genere differentes conferre non dubites?

Dicimus ergo Andrea, & veritate nobis assentiente dicimus, te & ludere & cōtraria dicere, & simplicitate tuorum abuti: quo-

ties

ties affirmas corpus Christi & essentialiter, realiter, corporaliter in, sub, cum pane esse, & in mysterio adesse: quippe cum vox mysterij, hoc modo accepta, Patribus nihil aliud significet, quam quo id quod oculis videtur, aliud intellectui considerandum & contemplandum proponitur: quod iam pridem ex nostrorum scriptis disceire potuisses, si modò culturæ patientem commodatæ ses aurem.

## *De Anabaptistis.*

### *Caput VIII.*

**N** hoc capite, omissis Anabaptistis, suam de nudis symbolis calumniam duobus argumentis confirmat Andreas: prius hoc est.

*Nostris aduersarij dicunt nobis in Sacramentis nihil amplius praberí, quam in simplici verbo: corpus Christi nunc procul absens: corporis nostrin nullam aliam actionem prater meram symbolorum acceptiōnem: ideo memorialia panis & vini adhiberi, ut recordatio sint corporis & sanguinis Christi, re ipsa absentium, neq; opus esse symbolis si re ipsa ad esset: abesse finamus donec redeat, præsertim cum corpore eius opus nihil habeamus.*

**Ergo nuda symbola constituant.**

Nititur Andrea tua calumnia falsa hypothesi & ruinoso fundamento: quod singit in Sacramentis signum & rem signatam non relatione Sacramentali, sed sua essentia in eodem loco coniungi & copulari. Hæc falsa opinio nudius tertius excogitata adeo altas radices egit in animo tuo, ut nuda symbola constitui vocifereris, nisi detur corpus Christi in pane, ut auenam in sacco, pecuniam in loculo, vinum in cantharo, infantem in cunis, includi & contineri. Valeant ergo istæ auenaciæ, nummaria & yinaria & infantaria similitudines, quæ cum sacramenti coniunctione nullam cognationem nullamque similitutinem habent. Circumcisio certè, quam Paulus Rom. 4.11. ῥοπαγίδε sigillum fidei nominat, sine blasphemia non potest dici nudum symbolum, etiamsi sub externa præputij circumcisione, iustitia fidei, quæ Christus est, non delituit. Sic sigilla literis appensa non ideo, nisi ab homine insano, nuda signa dici possunt, etiamsi res illa, quam ob signant, & ad quas confirmandas literis appenduntur, non sit in & sub sigillis localiter contenta.

**Cæterum**

Cæterum cum Andreas in suo antecedente multa falsa ctimina accumulârit, operæ pretium me facturum arbitror, si ea paucis perstrinxero & refutâro.

1. Ais nos docere, *In Sacramentis nihil præberi amplius, quām in simplici verbo.* Rectè sane Andrea: tu verò caue sis, ne veritatis confessionem in nobis reprehendédo, dupliciter peccare videaris. Nam primò quis queso te docuit sigillis plura obsignari, quām in verbo promissionis exprimantur? Profer si potes tuæ opinionis testimoniū, & ibi seorsim fide dignum: cum videoas nos nostræ sententiæ Christum testem habere: qui Ioh. 6. idem corpus comedendū esse docet, quod in Cœna. Deinde verò in eo peccas grauiter in ipsum Deum, quod ex nostra sententia, quæ verbo Dei fulcitur, falsum concludere tentas: quo nihil aliud facis, quām vt verbi Dei dignitatem penitus extenues atq; imminuas. Etenim si, vt tu falsò colligis, Sacraenta ideo nuda symbola sunt, quia in eis nihil amplius quām in simplici verbo proponitur, & præbetur: quid restat, quām vt dicas verbum Dei vacuum & inane quiddam, hoc est falsum & mendax esse? Vide Andrea quò te insana reprehendendi et calumniandi libido abripiat? O te implicatum Capernaitarum nepotem.

2. Ais nos docere, *Corpus Christi nunc procul absens esse.* Dœcemos sanè hoc, sic à Scriptura & symbolo Apostolico edocti: loquimur autem, vt sçpe iam vobis ostendimus, de σωματικῇ ἀπεστίᾳ corporali & locali absentia, quæ veram & spiritualem Christi eiusque beneficiorum participationem nequaquam tollit. Libenter enim usurpamus illud Cyrilli. *Etsi corpore absens est Christus, Patri pro nobis apparens, & ad dexteram ipsius sedens, tamen habitat in sanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos esse, quibus in Cœlum ascendens, Spiritu misit.* Non enim conuersari carne cum Apostoli poterat, cum ascenderit in Cœlum.

3. Ais nos docere, *Corporis nostri nullam in Cœna aliam actionem, preter meram symbolorum acceptiōnem.* Rectè sane Andrea: sed idcirco fideli actionem, quæ non imaginaria est, vt tu monstrosè singis, nequaquam tollimus, quin imò cōtra vos Capernaitarum posteros constanter asseueramus. Meritò enim nobis placet aureum illud Bernhardi super Cantica. *Quasi verò Christus, quem ita ascenderit in Cœlum tangi aut velit aut posſit: & utique poterit, sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus.*

4. Ais docere nos, *Ideo memorialia panis & vini adhiberi, vt recordatio sint corporis & sanguinis Christi re ipsa absentium, nec enim opus esse symbolis,*

*sires ipsa adesset.* Panem & Vinum in S. Cœna adhiberi μνημόσυνα & memorialia corporis & sanguinis Christi , nec tu negare potes Andreas : nisi falso esse probes , quod Christus dixit : *Hoc facite eis τὴν εμὴν ἀδεμνσιν in mei recordationem*, Luc. 22. 19. Adhiberi vero memoria non præsentium sed absentiū rerum (si videlicet corporalem & localem præsentiam spegetes, nam spiritualem præsentiam nequaquam negamus) nec tu inficiaberis, nisi Paulum mendacij arguere religio nō sit, quando dixit: *Quotiescumq; ederitis panem hunc, & liberitis poculum hoc, mortem Domini annunciate ἀχεις & ἀνέλθη vsq; quēd venerit*. Sed quid opus est multis: si panem & vinum memorialia corporis & sanguinis Christi concedis, vt necesse habes cōcedere , simul concedes res, quarum μνημόσυνα sunt & quorū memoriam nobis refricant , locati situ abesse: nisi sensu communite quoque orbatum esse declares, qui recte docet: *Tοῦ πατρὸντος αἰδονσιν εἴναι: τοῦ δέ μέλλοντος ἐλπίδα: τοῦ δέ γενομένου μνήμην*. Quæ ad hunc modum, vt tu quoque intelligas, interpretamur: *Præsentis est sensus: futuri spes: prateriti memoria.* At tuus sensus Vbiquitarius & Capernaicus te ita fascinavit , vt putes. *τὸν πατρὸντον εἴναι τὸν μνήμην*, res præsentes non sensu, sed memoria comprehendendi. O cæcum Vbiquitatis mancipium. Nos autem Deo gratias agimus, quoddicet nobis cum B. Ambrosio dicere; *Quia morte Domini liberatus sumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.*

5. Ais nos dicere, *sinamus donec redeat, præsertim cum corpore eius nihil opus habeamus.* Prius illud in nostrorum scriptis reperiri non memini: quare tuum figmentū esse nihil dubito. Hoc autem scimus & ex S. L. didicimus: Christum è Cœlis nobis exspectandum esse; Christum redditum non in panem sed ad iudicium : Christum oportere ἐγενόντες νέαντες ιπ' ὄντας δεκτῆντες Cœlo capi , vt interpretatur Nazianzenus, vsq; ad tempora restitutiois omnium: Christum ita reuersurum , vt ascendere visus est. Itaq; bona conscientia vobis Eutychis nepotibus opponimus illud Vigilij lib. 4. contra Eutychen, Vbiquitorū Patriarcham: *Quando caro in terra fuit, non erat utique in cœlo: & nunc quia in cœlo est, non est utique in terra; & in tantum non est. vt secundum ipsam expectemus venturum de cœlo; quem secundum verbum nobiscum esse dicimus in terra.* Hanc piam pij Martyris confessionem nullo modo eludes, etiamsi eum millies centics Dormilium nominaueris.

Posteriorius autem, quod hoc loco ponis, tuum crimen est, quod tua.

tua tibi dictauit Vbiuitas. Quis enim quæso te per Deū immortalem, ex nostris vñquam dixit aut scripsit, Nos corpore Christi nihil opus habere? Profer, si potes, vnum apicem: si minus calumniator esto. Quid autem collimes mihi videor videre. Scripserunt nostri nobis nunc nihil opus esse corporali & locali, carnis Christi præsentia, vsque ad extremi iudicij diem. Huius verò suæ sententiae duas rationes attulerunt: vnam quod Christus suam carnem nobis nequaquam subdueturus & in Cœlum eueeturus fuisset, si eius corporalis præsentia, peracto pro peccatis nostris λύτρῳ, nobis necessaria fuisset. Alteram, quod Christus ipse dixit: *Expedit vobis ut ego abeam, nisi enim abiero, consolator ille non veniet ad vos.* Itaq; cùm nostra sententia verbo Dei fulciatur, tuum præjudicium minimè extimescimus. Deus autem tuam calumniandi infamiam, noli dubitare, paulò post coercebit.

Nunc accedo ad alterum argumentum cuius hæc est sententia:

*Zuinglius ait, panem & vinum symbola tantum esse: panem preter panem nihil amplius esse: panem & vinum non aliud quam signa duntur esse: quod rei substantiam attinet præter panem & vinum non quicquam adest.*

Ergo Zuinglius nuda signa statuit.

Imò Andrea, ne hac quidem ratione calumniæ crimè effuge-re potes. Nam cum Eucharistia, vt Irenæus rectè monuit, constet duabus rebus, terrena & cœlesti: q̄tiarum illa signum, hæc verò res signata ab Ecclesiasticis Doctribus, nominatur: dic tu nobis an vlo modo fieri possit, vt res terrena & signum aliud esse possit, quām res terrena & signum, quod ad rem signatam sacramentaliter significandam adhibetur; An verò signum, pro re signata nobis habendum putas? An signa sacramentalia non finium tantum, sed substantiarum ratione mutantur? Responde Andrea si potes: si verò non potes, desine tandem in cineres magni Dei serui tam impotenter debachari. Cæterū excipies, *At Zuinglius præter panem & vinum, quod ad rei substantiam attinet, nihil adesse scripsit. Ergo nuda signa constituit.* Respondeo? Noli Andrea mordere mortuum fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, hoc est, noli calumniosè ad veram & spiritualem Christi corporis in Cœna præse-tiam detorquere, quod Zuinglius Pontificia Transubstantiationis crasso figmento, & Cameracensi siue Capernaiticæ, quam vos re ipsa docetis, verbo autem negatis, Confubstantiationi oppo-

suit. Quid enim Zuinglius de vera Corporis Christi in Cœna presentia veraque eius participatioue senserit, vt omnibus constare possit, & hac calumnia Zvinglium à te violari, vt neminem lateat, an Zuinglij de hac re confessionem ad Regem Franciscum. *Christum*, inquit, *credimus verè esse in Cœna immo non credimus Domini esse Cœnam, nisi Christus adsit.* Item, *Afferimus non siccarnaliter & crasse manducari corpus Christi, vt isti perhibent, sed verum Christi corpus credimus in Cœna sacramentum alter & spiritualiter edi à religiosa, fideli & sancta mente.* Hæc Zuinglius: & quis iam tibi Calumniantor videtur Cucule Vbi-guitarie?

*Catera, que supersunt, imprimi non potuerunt, quia tardius missa fuerunt.*

Errata Candidus Lector sic emendet.

*In titulo lege Fescennino. p. 4. prefat. l. 25. lege commodo. p. 4. l. 15. eos, Eadem l. 17. bdat. Eadem fa. 2. lege obſtens. In Opero. p. 3. l. 25. ἀληγος, p. 5. l. 9. sensuris, p. 6. l. 22. Polanum. p. 11. l. 14. πηγαδων. p. 13. l. 25 facienda. p. 15. l. 1. dele nihil. eadem. l. 8. iudices, p. 19. l. 33. post, non soluere Ecclesiæ Germanicas, adde, turbat. p. 21. l. 25. l. exultando.*



Ob. 6. II. 3069